DE REBUS INDE A CAESARE OCCISO USQUE AD SENATUM LIBERALIBUS HABITUM GESTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III MENSIS IUNII ANNI MDCCCLXXXXII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS FRÖHLICH

REGIMONTANUS.

ADVERSARII ERUNT:

CONRAD BENIAMIN, DRD. PHIL.

WALTER OPITZ, DR. PHIL.

WALTER HENZE, DR. PHIL.

BEROLINI 1892.

APUD W. WEBER.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Res inde a Caesare occiso gestas, ex quo in patria nostra studia rerum Romanarum florere coeperunt, primus scripsit Drumann.[1]) Nam quoniam opus ingens illud, quo Ciceronis aetatem omnem complexus est, secundum gentes singulas composuit, Antonii quoque vita scribenda erat: qua occasione res Caesaris caedem secutas ea, qua solitus est, non solum doctrina admirabili, sed etiam ingenii acie singulari illustravit narratione etiam ultra Ciceronis mortem usque ad finem belli Actiaci continuata (p. 384. § 57).

De fontibus autem Drumann sic iudicavit (p. 81): „Wie kein anderer unter denen, welche hier in Betracht kommen, hat Appian die Charaktere durchschaut und die Erscheinungen auf ihre Quelle zurückgeführt; wo Dio schwatzt, und Plutarch als ein guter Beobachter schildert, da bewährt er meistens den tiefen Denker.“ Sed ut iam Drumann sic perrexit: „aber die Zeiten hat er mehr als einmal verwechselt“, ita vivo etiam Drumanno Carolus Peter collatis Ciceronis de his rebus testimoniis cum Appiani narratione[2]) exempla multa attulit, unde appareat eum non solum a recta rerum serie identidem recessisse, sed etiam res ipsas interdum perperam narravisse, nonnullos prae inscientia vel neglegentia errores commisisse, haec illa omisisse, quae quidem ab illarum rerum scriptore non sine damno omitti possent, denique cum aliquo studio partes Caesarianas amplexum esse.

Atque horum quidem unum vel alterum fortasse concedi potest;[3]) quod autem Peter altero loco[4]) eandem rem tractans

[1]) Geschichte Roms in seinem Übergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung, oder Pompeius, Caesar, Cicero und ihre Zeitgenossen. Nach Geschlechtern. (Königsberg. 1834—44.) 6 Bde.

[2]) Appian und seine Darstellung der Ereignisse nach Caesars Tode bis zum Ende des mutinensischen Krieges (Philol. VIII. 1853 p. 429).

[3]) Plura etiam exempla attulit Krause: „Appian als Quelle f. d. Zeit v. d. Verschwörung gegen Caesar b. z. Tode d. Dec. Brutus“. Rastenburg 1879. 80.

[4]) Z. Krit. d. Quellen d. ält. röm. Gesch. (Halle 1879) p. 132.

desperavit erui posse, quibus fontibus Appianus usus esset, viderique eum contendit hanc historiae suae partem e diversis fontibus contexuisse, haud scio an non satis rationem habuerit Appiani propriae consuetudinis. Nam ut omnino antiquissimo quoque fonte rebusque ipsis proximo usus est,[1]) ita iam pro certo haberi potest eum hic quoque secutum esse eum ipsum, qui primus has res scripsit, Asinium Pollionem.

Quod quidem, collatis inter se Appiani et Plutarchi in vita Caesaris narrationibus, non solum Bailleu[2]) probavit, sed etiam Ranke propria de Appiani fontibus instituta quaestione,[3]) quod ad tempora Caesaris mortem praecedentia attinet, luculentissime ostendit, quod ad tempora posteriora, fidem summam fecit,[4]) ut hoc quidem iam constet.[5])

Sed quamvis optimo fonte usus sit, et ipse inter rerum Romanarum scriptores insignem obtineat locum, tamen non ad summam illam accessit diligentiam, ut eodem, quo res magnas intuitus est, studio atque amore (prooem. 11, b. c. I. 6) res mediocres explicaret. Immo non solum temporum ordinem saepius neglexit, sed etiam, quae fontes exhibebant, non raro brevissime contraxit,[6]) ut facile metiri possis, quantum detri-

---

[1]) cf. Mommsen: R. F. II, p. 344 et 544, et Ranke, Weltgesch. III. 2 p. 214. Sic Niese (Herm. 23. p. 413) probavit eum de Gracchorum aetate Posidonio usum esse.

[2]) Quomodo Appianus in bell. civ. l. II—V usus sit Asinii Pollionis historiis (Gott. 1874). Huic assensus est, qui novissimus de fonte Appiani quaesivit, C. Hinz in dissertatione Jenensi: Zur Beurteilung Appians und Plutarchs i. d. Darstellung d. Ereignisse v. d. Ermordung Caesars b. z. Tode d. M. Brutus. (Ottensen 1891) p. 56.

[3]) „Appian und der Wert seiner Quellen" l. l. p. 200. „Benutzung des Asinius Pollio" p. 226 sqq.

[4]) p. 237. de his cf. etiam Mommsen (v. Syb. H. Ztschr. 38. p. 7).

[5]) cf. Schäfer, Röm. Quellenkunde² p. 108: „Pollios Geschichte ist von Livius und Suetonius benutzt, liegt bei Plutarch und Appian zu Grunde." Paulus Otto, qui Strabonis fragmenta egregia cum cura collegit, secutus Thouretum et Judeichium probavit Strabonis librum, cuius magnam partem ex Asinio fluxisse constat, Appiani et Plutarchi narrationi subesse (Leipz. Stud. XI. 1889 p. 245); quamquam in ea parte, quae res inde a Caesare occiso gestas continet, indicia certa apud neutrum invenire potuit (p. 268 et 282).

[6]) cf. Nissen „Krit. Unters. über d. Quellen d. 4. u. 5. Dek. d. Liv." p. 115.

mentum factum sit. Itaque fortasse non inutile erit, denuo Appiani narrationem perquirere.

Atque in animo quidem mihi erat, longius progredi in quaestione, sed quo magis condicionem fontium perspexi, eo magis periculum feci, in hac re difficillima certi aliquid explorari non posse, nisi quaestio quasi pedetentim incederet et vel in minimis rebus consistere non dedignaretur. Quare eam mihi imposui legem, ut intra limites me continerem quam maxime circumscriptos. Proficiscenti autem ab Idibus Martiis proximus terminus Liberalia sunt, i. e. tertius a Caesaris nece dies; quo quidem die Antonium consulem senatu convocato de republica referentem verba fecisse de concordia, senatumque Cicerone auctore decrevisse, ut omnis memoria discordiarum praeteritarum oblivione sempiterna deleretur, acta autem Caesaris pacis causa confirmasse, cum aliis testimoniis comprobatur, tum hoc loco luculentissimo Ciceronis (I Phil. 31):

„Tu, M. Antoni, — unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus anteponis? Quae fuit oratio de concordia! Quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam tuum depositis inimicitiis illo primum die collegam tibi esse voluisti! Tuus parvus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit: quo senatus die laetior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in contione unquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur, quia, ut illi voluerant, libertatem pax consequebatur.“

Sed illud fortasse propriam desiderat quaestionem, unde factum sit, ut Antonius tertio die senatum convocaret Ciceronisque sententia pronuntiata interfectoribus Caesaris impunitatem concederet; videamus igitur, quo sese res ordine primo et secundo die exceperint.

Priusquam autem ad propositum nostrum veniamus, pauca addere liceat de fontibus; horum enim duorum dierum memoria non solum apud illos auctores, qui Drumanno, cum haec scriberet, noti erant, sed etiam in fragmento Nicolai de vita Caesaris libri (25—27) nobis servata est. Is enim, qui collegit quaecunque apud rerum scriptores de „insidiis“ tradita erant, ex Nicolai libro cum alia, tum conspirationem contra Caesarem factam

sumens primum et secundum diem excerpsit tertio reliquisque usque ad funus Caesaris diebus omissis.

Nicolaus autem in vita Caesaris ea inter Octavii Romae adventum et res ibi ab eo gestas ideo interposuerat, ut ostenderet, quomodo coniuratio contra Caesarem exorta esset, et post caedem eius omnia turbata essent. (19).

Accessit igitur ad posteriores illos rerum scriptores aequalis Antonii et Augusti: nam Nicolaus Antonii ex Cleopatra liberos educavit et Augustum ipse Romae adiit publico negotio functus (Schäfer l. l. p. 91). Et quamvis librum suum eo potissimum consilio composuisse videatur, ut Augustum adularetur (c. 1 et 2), tamen ea ipsa, quae apud posteriores illos rerum scriptores desiderantur, aliqua saltem ex parte exhibet.

Qua de re cum in universum is, qui Nicolai fragmenta anno 1849 primum edidit (Müller FHG. III, p. 347), sic iudicavit: „Reliquiae eius permagni in tanta meliorum scriptorum penuria faciendae sunt. Nam multa suppeditant, quae aliunde comperta non habemus, quorumque fidem nihil est, cur suspectemus; alia, quae a Suetonio, Appiano, Plutarcho, Dione, Velleio paucis tanguntur, uberius narrant, alia alio exponunt ordine,“[1]) tum de hac, de qua agitur parte, is, qui novissimus de Nicolao propriam quaestionem instituit (O. E. Schmidt, J. f. cl. Phil. S. 13, p. 679), sic monuit:

„Wir finden in den Fragmenten über Caesars Ermordung etc. wertvolle Spuren von richtiger Chronologie und Accuratesse in Dingen, welche die jüngere griechische Tradition vernachlässigt hat. So hat Nicolaus allein von allen griechischen Autoren eine richtige Zeiteinteilung der Ereignisse der ersten Tage nach Caesars Ermordung gehabt.“

Ad hunc igitur recurrere licebit, si forte Appiani narratio et cetera testimonia non suppeditabunt.

Atque hoc quidem de fontibus addendum erat; quod autem ad recentiora opera attinet, vix est quod moneam me praeter

---

[1]) Liceat etiam in memoriam revocare, Hugonem Grotium de Nicolai fragmentis Valesianis (1—15) sic iudicavisse: „Ita sibi temperavit, ut nihil diceret, quod rebus cognitis repugnaret, aut persona temporibusque discongrueret.“

Drumanni opus ea quoque in usum meum vertisse, quae Schiller (G. d. r. Kaiserzeit) et Ihne (R. G. VII) et nuperrime Gardthausen (Augustus u. seine Zeit. Leipzig 1891) de his rebus protulerunt. Nec neglexi, quae Müller in dissertatione „De rebus inde a Caesaris nece usque ad funus Romae gestis“ (Monasterii 1884) exposuit.

I.

Atque ut tandem in medias res eamus, Appianus postquam narravit, quomodo coniuratio contra Caesarem exorta, et Caesar occisus esset (111—117), in fine libri secundi res usque ad funus eius gestas addidit (118—148).

Has autem res sic contraxit, ut senatum illum tertio die habitum secundo iam die (126), funus autem Caesaris sexto vel septimo die factum[1]) tertio iam die poneret (142—143).

Atque haec quidem praemittenda erant ad Appiani narrationem recte intellegendam; nunc iam ad singulos dies venientes videamus, quae Appianus primo die facta esse tradiderit (118—124).

Primum autem narravit, quae sub ipsa Caesaris caede facta sint qualisque condicio Caesaris amicorum fuerit (118), deinde, quid interfectores eo die gesserint (119: οἱ δὲ σφαγεῖς sqq.).

Audiamus igitur, quae Appianus caedem Caesaris subsecuta esse tradiderit[2]):

Perfecto interfectoribus tanto scelere in sacro loco et in virum sacrum et sacrosanctum fugam ortam esse statim per curiam et per urbem totam, et vulneratos esse aliquot senatores in eo tumultu et occisos alios. Multam autem aliam, urbanorum et peregrinorum, factam esse caedem, non consulto, sed ut in tumultu urbano et per inscientiam eorum, qui manus inicerent.[3])

---

[1]) Ruete, D. Correspondenz Ciceros i. d. Jahren 44 u. 43 (Marburg 1883) p. 16.

[2]) Verba autem Appiani ipsa adnotare nunquam omisi, ubi dubium erat, quomodo interpretanda essent.

[3]) πολὺς δὲ καὶ ἄλλος, ἀστῶν τε καί ξένων, ἐγίγνετο φόνος, οὐ προβεβουλευμένος, ἀλλ' οἷος ἐκ θορύβου πολιτικοῦ καὶ ἀγνωσίας τῶν ἐπιλαβόντων.

Gladiatores enim, armatos a prima luce, ut in scenam eo die prodirent, e theatro in porticum curiae transcurrisse, et spectatores prae terrore cursim dissipatos esse tabernasque direptas esse. Et ianuas cunctos clausisse et de tectis ad arcendos impetus sese accommodasse.

Antoniumque domum munisse, suspicatum sibi non minus impendere insidias quam Caesari. Et Lepidum, magistrum equitum, quid factum esset, in foro versatum comperisse, in insulam autem Tiberinam, ubi ei esset legio, transgressum milites suos in Campum duxisse, quo expeditiores haberet, si quid Antonius iuberet (Antonio enim eum cessisse, magis amico Caesari et consuli). Cumque deliberarent, eos voluisse quidem Caesarem ulcisci talia perpessum, sed senatum metuisse et res futuras exspectasse.

Caesarem autem ipsum praesidio circumdatum non fuisse — non enim satellites ei placuisse —, sed lictores tantum et magistratus maiore ex parte et praeterea multam turbam urbanorum et peregrinorum, et multam servorum et libertinorum, eum e domo ad curiam prosecutos fuisse, quibus una diffugientibus tres tantum servos remansisse, qui corpore lecticae imposito domum rettulissent (impariter, ut tres) eum, qui brevi ante terrae marisque dominus fuisset.

Appianus igitur primum narrat senatores e curia, populum e theatro fugisse, deinde, quid Antonius et Lepidus fecerint, tum narratio ad Caesarem ipsum (ἀμφὶ δὲ αὐτῷ Καίσαρι . .), quem in fine proximi capitis (117) tribus et viginti plagis confossum reliquerat, aptissime redit.

Postquam hoc caput percensuimus, quasque partes contineat, cognovimus, nihil iam obstat, quo minus ad singulas res descendamus.

In tumultu igitur ex fuga senatorum orto sauciati sunt nonnulli senatorum et occisi alii. Praeterea populi e theatro fugientis multa facta est caedes.

Nam gladiatores, armati ad spectaculum praebendum (115), e theatro in porticum curiae transcurrebant, resque venales diripiebantur.

Caedes igitur ac rapina videtur facta esse per licentiam gladiatorum, qui quidem eo die armis instructi erant. Atque

haec quidem causa videtur fuisse, cur domos omnes clauderent et tecta ad defendendum peterent. Quid probabilius?

Sed paulo infra (120) scriptum legimus, interfectores in Capitolium 'cum gladiatoribus contendisse, et altero loco (122) Dec. Brutum gladiatores coniuratis in tempore praebuisse.

Quid D. Bruto cum gladiatoribus in scenam prodituris? Quomodo factum putemus esse, ut gladiatores e theatro prorumpentes in tumultu caedem Caesaris subsecuto cum Dec. Bruto congregarentur?

Qua de re quoniam per Appianum certiores non fimus, cogimur iam Nicolaum adire.

Ibi autem haec nobis servata sunt (26): Interfectores multos ante caedem comparatos gladiatores, cum in eo esset, ut res perageretur, armatos [1]) disposuisse inter curiam et theatrum in porticu Pompeiana. Hos autem expedisse Decimum Brutum, specie quidem ad aliam rem — quasi e gladiatoribus in theatrum tum coeuntibus unum rapere vellet, qui se ipsi prius locasset (ludos enim tum fuisse, quos et ipse velut daturus simulasset se ei, qui tum ludos ederet, aemulari) —, re vera autem ad caedem haec praeparata fuisse, ut, si qui resisterent Caesari succurrentes, praesto esset ipsis auxilium.

Atque haec quidem de gladiatoribus D. Bruti nobis tradita sunt; de tumultu autem apud eundem haec scripta invenimus (25): Clamorem ingentem sublatum esse his e curia fugientibus, quicunque non participes fuissent coniurationis, et putantibus protinus etiam ipsis caedem imminere, illis autem, qui Caesarem comitati foris versarentur, commune totius senatus id esse facinus putantibus et manum magnam ad id convenisse, [2]) aliis prae inscientia facti repentino tumultu attonitis et huc illuc discurrentibus. Omnia autem plena fuisse hominum fugientium et clamantium.

---

[1]) cf. quae alio loco apud Nicolaum de diebus, quibus ludi gladiatorii essent, adnotata sunt (23): ἔνθα καὶ ὅπλα ὁρᾶσθαι παρεσκευασμένα ἐπὶ τὴν πρᾶξιν ἀνύποπτον ἦν διὰ τὸν ἀγῶνα.

[2]) τῶν ἔξω Καίσαρι συνόντων πάσης οἰομένων εἶναι τῆς βουλῆς τὸ ἔργον, καὶ στράτευμα μέγα εἶναι τὸ ἐπὶ τοῦτο ἐληλυθός. Quod Nicolaus „στράτευμα μέγα“ et paulo infra „τὴν στρατιάν“ dicit, sine dubio significat manum illam gladiatorum D. Bruti.

Surrexisse etiam populum, nullo cum ordine fugientem ex theatro (ludos enim gladiatorios eum forte tum spectasse), quid factum esset, certo non scientem, clamore autem undique exorto perturbatum. Nam hos dixisse senatum a gladiatoribus [1]) trucidari, illos, Caesare occiso exercitum ad rapinam urbis se convertisse, alios alia suspicatos esse.

Audiri autem nihil potuisse clari: nam terrorem ancipitem omnes depressisse.

Haec Nicolaus. Gladiatores igitur specie tantum ad spectaculum praebendum armati erant, nec post caedem e theatro in porticum curiae transcurrerunt, sed hic iam a primo mane dispositi erant a D. Bruto, ut praesidio essent coniuratis, si quis Caesaris amicorum ei adesse auderet. Simulaverat autem D. Brutus, qui tum ipse ludos editurus esse credebatur, se e grege aemuli sui gladiatorem, qui ipsius esset, antequam in theatrum introiret, intercipere velle. [2])

Hi igitur gladiatores ante curiam collocati erant: itaque, cum subito clamor ingens senatorum e curia fugientium ad populi in theatro frequentis aures pervenisset, fuere, qui primo terrore suspicarentur gladiatores seditione facta senatoribus vim inferre, cum alii putarent Caesare trucidato ab his caedem ac rapinam quaeri.

Sed hoc non magis evenit, quam quod senatores coniurationis non conscii se quoque occisum iri, vel quod ei, qui, ut Antonius, foris ante curiam stabant, commune totius senatus id esse facinus gladiatoresque illos multos ad caedem Caesaris amicorum conductos esse putaverant.

Quodsi Appianus gladiatoribus culpam caedis tribuisse videtur, ab his saltem caedes commissa non est: [3]) unde sane

---

[1]) οἱ μὲν γὰρ ἔφασαν τὴν σύγκλητον ὑπὸ τῶν μονομάχων σφάττεσθαι, οἱ δὲ Καίσαρος ἀποσφαγέντος τὴν στρατιὰν ἐφ' ἁρπαγὴν τῆς πόλεως τετράφθαι, ἄλλοι δὲ ἄλλα ὑπελάμβανον.

[2]) De his locis singulis cf. „Forma urbis Romae regionum XIV.," ed. Jordan. fragm. 30—31 et Proleg. p. 22. Ex quibus reliquiis apparet ad theatrum per porticum aditum fuisse.

[3]) cf. Merivale, R. G. II. p. 36. 4. „Wenn Blut vergossen ward, so war es wahrscheinlich das Werk von Dieben und Plünderern. Decimus hielt seine Gladiatoren in guter Zucht und möchte ihnen keine solche Ausschreitungen, wie dieser Schriftsteller angiebt, erlaubt haben."

cum Drumanno coniciamus caedem factam omnino non esse (p 80).

Satis mihi iam demonstrasse videor praeter Caesarem neminem occisum esse et rem profecto sic evenisse, quemadmodum coniurati voluerint. Quod cur non nullius momenti sit, suo loco apparebit.

Vidimus, quomodo tumultus Caesaris caedem subsecutus sit: nunc ad alteram huius capitis partem transeuntes videamus, quid Antonius in hoc tumultu fecerit.

Antonius igitur domum suam munivit, sibi non minus quam Caesari impendere insidias ratus, cumque Lepidus copias suas e castris eduxisset, cum eo consiliatus est.

Et profecto consentaneum erat Antonium de sua vita metuentem domi se tenere et inprimis id agere, ut contra gladiatorum, quos exspectabat, impetus se defenderet. Sed commemoravimus iam Antonium, cum Caesar interficeretur, ante curiam stetisse — Appianus ipse nobis tradidit (117) eum non in curiam introisse, sed foris a Trebonio sermone retentum fuisse —, unde haud scio an nostra intersit comperire, quid Antonius sub ipsa Caesaris caede fecerit, cum interfectores vel gladiatores ipsum quoque ferro petituros esse crederet.

Qua de re quoniam apud Appianum nihil invenimus, iterum ad Nicolai narrationem recurrere liceat; ibi autem haec de Caesaris amicis tradita sunt (26): Qui affuissent in curia, fugae se dedisse; qui foris fuissent amicorum, in domibus sese occultavisse; [1]) fuisse etiam, qui vestimentis mutatis in agros et propinqua praedia se subducerent. Affuisse autem ei e tot amicis neminem, neque dum trucidaretur, neque postea, [2]) praeter Sa-

---

[1]) οἱ δὲ ἔξω ὄντες τῶν φίλων (quorum in numero erat Antonius) ἐκρύπτοντο ἐν ταῖς οἰκίαις. cf. 25.

[2]) παρέστη αὐτῷ τῶν φίλων οὐδείς, οὔτε σφαττομένῳ, οὔτε μετὰ ταῦτα. Quocum congruit Cicero sic scribens (de div. II. 23): „Quid vero Caesarem putamus, si divinasset fore, ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia ante ipsius Pompei simulacrum tot centurionibus suis inspectantibus ac nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse?“

binum Calvisium et Censorinum, [1]) sed hos quoque postquam impetu a coniuratis facto paulum restiterint, fugisse propter illorum multitudinem; ceteros vero suae saluti prospexisse. Fuisse etiam quibus hoc ex sententia fieret; certe quidem aliquem ex eis de Caesare mortuo pronuntiasse dici: „Satis servitii tyranno praestiti“!

Similem in modum Dio, postquam narravit, quae primo die gesta sint ab interfectoribus (44, 20—21), ad Caesaris amicos transgressus, primum quidem tradidit Dolabellam in Capitolium ad interfectores ascendisse (22, 1), deinde Lepidum forum cum militibus suis nocte occupasse et prima luce contra interfectores contionatum esse, tum Antonii rem gestam dicturus praemittit eum confestim ex Caesaris morte fugisse et vestem consularem, ne detegeretur, abiecisse et noctem latuisse (2). [2])

Haec apud Nicolaum et Dionem [3]) nobis tradita optime comprobantur Ciceronis testimonio hoc (II Phil. 88): „Quae tua fuga, quae formido praeclaro illo die! Quae propter conscientiam scelerum desperatio vitae, cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti!“

Quodsi quaesieramus, quomodo Antonius in tumultu illo domum pervenisset, occurrit nobis non solum eum veste consulari abiecta domum fugisse, sed etiam illud, eum, postquam domum pervenerit, nihil ausum esse agere. Qua de re quid aliud dicemus, quam Idibus Martiis vel fortissimum quemque animum defecisse? Sed quanta occasio inde amissa sit, quis metiri velit?

Postquam exploravimus, qualis condicio amicorum Caesaris primo die fuerit, iam videamus, quid interfectores eo die fecerint.

Appianus primum quidem tradidit interfectores Capitolium occupasse (119), deinde M. Brutum in contionem descendisse (120—122), tum, cum iam hoc in Capitolium reverso necessarii

---

[1]) De his cf. Willems: Le sénat de la Rép. Rom. I. p. 563. 1 et 569. 20. Hi sunt consules anni 715/39.

[2]) Ἀντώνιος παραχρῆμα μετὰ τὸν τοῦ Καίσαρος θάνατον φυγὼν καὶ τήν τε ἐσθῆτα τὴν ἀρχικήν, ὅπως διαλάθῃ, ῥίψας καὶ τὴν νύκτα κρυφθεὶς . . . cf. Nicol. p. 9. 1.

[3]) ut iam mittam, quae Plutarchus in vitis Caesaris (67), Antonii (14), Bruti (18), de fuga Antonii attulit.

interfectorum et cognati ad eos se conferre possent, creatos esse, qui legati irent ad Lepidum et Antonium (123).

Ac profecto legatos hoc die ad Antonium et Lepidum isse, testis est Cicero ipse (II Phil. 89): „Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, cum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer, quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desisses, similem te futurum tui. Itaque cum ceteri consulares irent redirent, in sententia mansi: neque te illo (i. e. eo, quo legati iverunt, vel primo) neque postero die vidi . . Post diem tertium veni in aedem Telluris."

Vel inde apparet contionem M. Bruti, ut quae huic legationi antecedat, utique in primum diem cadere.

Atque hoc quidem praemonendum erat, ut teneremus Appianum in hac quidem narratione temporum ordinem recte servavisse: nunc iam videamus, quae Appanius de interfectorum in Capitolium fuga tradiderit (119):

Interfectores voluisse quidem dicere aliquid in curia, cum autem nemo maneret, togas laevis, ut scuta, circumplicasse et pugiones cruentatos tenentes se proripuisse clamantes regem et tyrannum se sustulisse; et pileum aliquem hasta portasse, insigne libertatis, eosque ad patriam rempublicam restituendam cives advocasse et Bruti prisci illius et tunc iuratorum contra priscos reges admonuisse.

Una autem cum eis cucurrisse aliquos sumptis pugionibus, qui, quamquam facti participes non fuissent, gloriam vindicarent, Lentulum Spintherem et Favonium et Aquinum et Dolabellam et Murcum et Patiscum; (quos gloria non fructos eandem, quam interfectores, poenam passos esse).

Cum autem populus eis non accurreret, eos haesisse et metu affectos esse, senatui etsi confestim prae inscientia et perturbatione fugisset, confisos tamen, quod cognati ipsorum et amici essent et tyrannidem non minus aegre ferrent, populum autem suspicantes et veteranos Caesaris multos in urbe tum versantes, hos recens militia dimissos et in colonias deducendos, illos deductos iam, sed Romam profectos, ut Caesarem exeuntem prosequerentur. Lepidumque eos metuisse Lepidique in urbe exer-

citum, et Antonium consulem, ne populo solo pro senatu convocato male in ipsos animadverteret.

Quo in statu cum essent, in Capitolium eos cum gladiatoribus contendisse.

Cuius narrationis si summam facimus, Appianus non solum singularum rerum unus nobis memoriam servavit, sed etiam magna cum cura causas exposuit, quare interfectores in Capitolium se receperint. Quocum si conferimus, quae Appianus aliis locis de singulis rebus attulit, quaeque apud Nicolaum aliosque nobis tradita sunt, haec fere efficiuntur:

Coniuratis propositum erat corpus occisi in Tiberim trahere, bona eius publicare, acta rescindere. [1]) Sed forte tum veterani multi Romae aderant: nam non solum ex eis, qui recens a militia dimissi et in colonias deducendi erant, tum magnus numerus una in templis et areis, sub uno vexillo et sub uno duce coloniae, collocatus erat, [2]) sed etiam, quoniam Caesar post diem quartum exiturus erat (111), e deductis multi Romam advenerant, ut Caesarem exeuntem prosequerentur.

Praeterea Lepidus ut in provinciam iturus forte tum legionem in insula Tiberina habebat, [3]) Antonius autem, inter Caesaris amicos fidelissimus, consulatum obtinebat.

Quo in discrimine omnis salus coniuratorum in eo posita erat, quomodo senatus factum excepturus esset.

Atque coniurati speraverant illi quidem fore, ut senatores, quamvis rei non conscii, ardenter, ubi factum viderent, periculum cum ipsis communicarent et auctoritatem suam contra veteranos interponerent (114): itaque Caesare interfecto statim M. Brutus in medium prodiit verba facturus [4]) Ciceronique vocato recuperatam libertatem est gratulatus. [5])

Sed ut ne Cicero quidem, nominatim appellatus, manere sustinuit, ita multo minus amici Caesaris et reliqui senatores, a Caesare ipso maiore ex parte cooptati. [6])

---

[1]) Suet. Caes. 82.

[2]) 120, cf. Marquardt, St. V. II.^{2} p. 434. 5.

[3]) 118 et. Dio 44. 19 Λέπιδος ἐξεστράτευτο καὶ ἐν τῷ προαστείῳ ἦν.

[4]) Plut. Caes. 67, 1.

[5]) II Phil. 28. hoc Dio significat, cum de interfectoribus dicat (20. 4): τὸν Κικέρωνα συνεχῶς ἀνεκάλουν.

[6]) Cic. l. l. (p. 9. 2); cf. Mommsen, St. R. II.^{3} p. 733 et R. G. III.^{8} p. 489.

Ex quibus duo quidem, Calvisius et Censorinus, Caesari opem ferre conati erant, ceteri autem primo ictu a Casca facto adeo attoniti fuerant, ut neque fugere neque Caesari auxiliari, sed ne vocem quidem edere auderent, [1]) donec clamore ingenti sublato praecipites e curia fugiebant, sibi quoque necem destinatam esse credentes (Nic. l. l. p. 7).

Interfectores autem, cum nemo maneret, celeriter in publicum prodierunt, togas laevis, ut scuta, circumplicantes et pugiones cruentos tenentes, cum aliquis hasta pileum portaret, libertatis recuperatae insigne. [2])

Ac Brutus quidem, ut senatum in curia retinere studuerat, ita iterum tumultum sedare conatus est, et denuo omnes bono animo esse iubebat — nihil enim accidisse mali: „Tyrannum se interfecisse" (Nic. 25).

Item ceteri interfectores clamabant regem se sustulisse, et ad patriam rempublicam suscipiendam universos cives adhortabantur et Bruti prisci illius et eorum, quae tum maiores contra veteres illos reges iuravissent, eos admonuerunt. [3])

Atque de optimatibus quidem nonnullis animum fecerunt, ut pugiones ipsi sumerent et inter eos sese miscerent quasi caedis socii: quorum in numero erant Favonius, Catonis ille aemulus, et Lentulus Spinther et M. Aquinus, quorum uterque bello civili a Pompeio steterat, et C. Octavius et Patiscus et Murcus. [4])

Populus autem aspectis pugionibus cruentis interfectorum

---

[1]) Plut. Caes. 66, 3.

[2]) Quis non meminit pilei illius inter duos pugiones in nummis Bruti postea expressi? (Babelon, Monn. de la Rép. Rom. II p. 119/120.)

[3]) Mommsen, St. R. II.[3] p. 713: „In diesem ein halbes Jahrtausend zuvor geschworenen Eide gegen das Königtum fanden diejenigen Mörder Caesars, die überhaupt mit ihrem Gewissen sich noch abzufinden hatten, den Freibrief und die Aufforderung zu ihrer That."

[4]) De his nominibus Merivale egregie sic iudicavit (l. l. p. 39): „Wenn man diese unbekannten Namen liest, drängt sich unwillkürlich die schmerzliche Betrachtung auf, wie viele Opfer der Bürgerkrieg gekostet hatte, und wie wenige von den großen Zeitgenossen der Triumvirn noch übrig waren, um die ihrem letzten Zusammensturze entgegenwankende Republik zu stützen."

trepidavit [1]) et minime interfectorum verbis fidem habens praeceps aufugit [2]).

Ex qua communi omnium fuga suspicio eis orta est, ne forte Antonius consul populum adversus ipsos sollcitaret: illud vero potissimum in mentem eis venit, quantum periculum ipsis instaret a Lepidi copiis et veteranis.

Quare ipsi iam metuentes, ne quis sibi insidiaretur, simulantes deis gratias se agere velle, [3]) per forum in Capitolium fugerunt [4]) stipati gladiatoribus illis D. Bruti, ibique praesidia undique disposuerunt, metuentes, ne veterani ipsis succederent (Nic. l. l.).

Interfectores igitur in Capitolium fugientes Caesarem in Tiberim trahere omiserant: unde quantum periculum eis exoriturum esset, statim patefactum est.

De ea re apud Nicolaum haec tradita sunt (26): Caesarem etiam exanimem in curia iacuisse nullo auso permanere atque corpus auferre.

Atque quae de amicis Caesaris fugientibus eo loco prolata sunt, iam vidimus (p. 9—10); deinde narratio sic pergit: Servos tantum tres, qui in propinquo mansissent, paulo post corpus eius lecticae impositum per forum domum rettulisse, et quoniam utrimque plagulae dimotae fuissent, bracchia dependentia et plagas ori infixas conspici potuisse. Tum neminem lacrimas tenuisse, cum conspiceret eum, cui olim divini fere honores

---

[1]) Nic. l. l.

[2]) Quod Lupienses illi a funere Caesaris ex urbe domum reversi Octavio bona fide narraverunt, interfectores servos ad libertatem vocasse (17), ut multa falsa apud populum metu perculsum illo die credita erant, ita hic error fortasse ex pileo illo ortus erat.

[3]) Dio 21. 2. Inde autem, quod Dio narratione male contracta primum interfectorum in Capitolium ascensum omisit — nam in foro eos constitisse dicit (20. 3), quamquam occupato demum Capitolio in forum ad contionem descenderunt —, factum est, ut hanc causam eo loco poneret, ubi de interfectorum in Capitolium reditu agitur. Eadem prorsus ratione Lentulum aliosque (21. 3. τινὲς τῶν πρώτων) cum interfectoribus sese coniunxisse falso loco posuit: nam vesperi quidem (ἀφ' ἑσπέρας) necessarii et familiares eorum, in quibus Cicero, in Capitolium se contulerunt (App. 123), hi autem una cum interfectoribus in Capitolium ascenderant (Plut. l. l. „συνανέβαινον").

[4]) Nic. l. l.: ἐξᾴξαντες τοὐντεῦθεν οἱ σφαγεῖς ἔφευγον θέοντες διὰ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὸ Καπιτώλιον.

tributi fuissent, et luctum et gemitum multum eum prosecutum esse, plorantium utrimque de tectis et in viis, per quascunque duceretur.

Cumque domui appropinquassent, multo maiorem ortum esse singultum; nam prosiluisse uxorem cum multa turba mulierum et servorum, invocantem nomen mariti et se ipsam accusantem, quod frustra eum monuisset, ne eo die prodiret.

Atque hos quidem funus ei adornasse . . .

Quodsi postea Cicero Attico graviter questus, quod acta Caesaris rescissa non essent, haec scripsit (XIV. 10):

„Meministine me clamare illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus vocari?[1]) Di immortales, quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus!“

et Idibus cum Liberalibus collatis sic pergit:

„Meministine te clamare causam perisse, si funere elatus esset?“[2])

nunc iam Idibus cum die funeris Caesaris collatis videntur mihi haec utriusque verba a Cicerone Attico in memoriam revocata, ut sine dubio eandem spectant occasionem[3]), ita tempus illud redolere post Caesaris caedem novissimum, cum interfectores in Capitolium vix se recepissent, necdum in urbe notum esset, Brutum in animo habere, Antonium consulem ad defendendam rempublicam adhortari, illud autem ex totius populi dolore facile provideri posset, omnia interfectoribus perdita fore, si Caesaris corpus denuo populo conspiciendum praeberetur et iterum per forum, tunc quidem iusto funere, ductum omnibus miserationem moveret.[4])

---

[1]) Non opus esse supplere: „oportere“ compluribus exemplis allatis comprobavit Hofmann (Ausg. Brief. Cic. II. p. 104).

[2]) Eadem prorsus Attici verba altero loco repetiit (14. 3): „Recordare tua: Nonne meministi clamare te omnia perisse, si ille funere elatus esset?“

[3]) Hoc vel ex similitudine verborum apparet; nam verbis: „Meministine me clamare“ respondent illa „Meministine te clamare.“

[4]) Itaque cum iam acta Caesaris Liberalibus confirmata essent, tamen, cum postero die Antonius de testamento et funere Caesaris rettulisset, Cassius aliique novarum turbarum metu summam operam dederunt, ut prohiberent, quominus Caesar sepeliretur (Plut. Brut. 19, 2 cf. Lact. Inst. I. 15. 30 et Dio 35: Καί τινες καὶ ἄταφον τὸ σῶμα αὐτοῦ ῥῖψαι ἐπενόουν), Brutus

Ut autem ne Atticus quidem eo die vocem retinuit[1]), ita, postquam sermo de Caesare occiso latius permanavit, populus frequens per vias et per forum discurrebat urbemque clamoribus implebat[2]).

Atque haec quidem, postquam interfectores in Capitolium se receperunt, in urbe facta sunt; si autem quaerimus, quid hi ipsi Capitolio occupato fecerint, venimus iam ad eas res, de quibus Drumann sic questus est (p. 84 in initio § 9): „Von hier an führen uns die Alten in ein Labyrinth."

Sed quod Drumann in fine operis sui speravit fortasse fore, ut, quas res difficiles significasset, eae aliquando fontibus nostris auctis illustrarentur[3]), id, si in ulla re, tum certe in hac evenit. Nam ut Nicolai narratione de gladiatoribus D. Bruti, de tumultu caedem Caesaris subsecuto, de fuga Caesaris amicorum, de urbis, cum Caesaris corpus domum referretur, statu certiores facti sumus, ita, quae de contione M. Bruti exhibet, quamvis partim librarii, partim excerptoris culpa lacunae duae exstent, tamen eius modi sunt, ut dicas vel in his reliquiis incorruptam rerum memoriam neque ullis erroribus detrectatam nobis servatam esse.

Ibi enim, postquam narratum est interfectores Capitolium

---

autem iterum Antonii gratia repugnavit (Plut. l. l. εἶξε δὲ Βροῦτος καὶ συνεχώρησε, . . δεύτερον ἁμαρτεῖν δοκῶν . . καὶ . . αἰτίαν ἔσχεν τοῦ παντὸς σφαλῆναι.

[1]) Drumann ex hoc loco colligere voluit Ciceronem vesperi in Capitolio coram interfectoribus censuisse, senatum extemplo convocandum esse (p. 83), Atticum autem obsequii erga Ciceronem causa sua verba locutum esse, cum senatus consultum de funere Caesaris factum innotuisset (p. 95). Sed si recte verba illa abrupta interpretor, agitur de colloquio satis turbulento inter Ciceronem et Atticum facto, ubi primum post caedem, animis novitate rei etiam commotis, obviam sibi facti sunt. Nam ut Ciceronis verba vix eam prae se ferunt speciem, ut dicas eum haec in consilio suasisse, ita Attici mihi minus placide ac remisse dicta videntur esse, quam vehementer et concitate pronuntiata.

[2]) Nic. 25. διαδρομαὶ δ'εὐρεῖαι ἦσαν ἔν τε ταῖς ὁδοῖς καὶ κατ' ἀγοράν, διεξελθόντος ἤδη τοῦ λόγου εἰς τὸ πλῆθος, ὅτι σφαγείη Καῖσαρ, ἐῴκει τε ἡ πόλις ἁλισκομένῃ. et Plut. Brut. 18. 3.

[3]) t. VI. praef. p. V: „Das Schwierige wollte ich nicht umgehen, und es wenigstens für bessere Forscher oder günstigere Zeiten bezeichnen, wenn meine Kräfte und Mittel nicht zureichten."

occupasse (25), Caesaris autem corpus domum relatum esse (26), haec sequuntur:

Primum quidem, quod iam vidimus (p. 7), exponitur ex interfectoribus D. Brutum gladiatores multos aliquanto ante caedem comparasse, deinde haec narrantur: His fretos et alia servorum manu eos e Capitolio descendisse.[1])

Placuisse enim eis convocato populo periculum facere et huius et magistratuum, quid sentirent adversus ipsos, utrum ut tyrannicidas ipsos exciperent an ut interfectores . . .[2]) [Populum autem in forum statim congregatum esse:[3]) quod cum vidisset Cinna praetor, praeter omnium opinionem eum in medium prodisse et in rostra egressum Caesarem tyrannum appellasse, et qui eum sustulissent, tyrannicidas.[4]) Populum autem vix sibi persuadere potuisse coniuratis satis fore Caesarem solum occidisse, sed suspicatum esse[5])] maiora mala ab eis profectura esse — non enim parvo consilio aut parvis opibus haec facta esse, neque a quibus facta essent, neque contra quos ea intenta fuissent: magnos enim esse exercitus Caesari deditos et magnos duces successores consiliorum eius relictos.

Silentium igitur tum propter rem insolitam in magna animorum perturbatione altum fuisse, omnibus praestolantibus, quid primum in hac re auderetur et quid initium foret rerum novarum.

---

[1]) τούτους οὖν ἔχοντες κατέβαινον ἐκ τοῦ Καπιτωλίου καὶ ἄλλο οἰκετῶν πλῆθος.

[2]) συγκαλέσαντες δὲ τὸν δῆμον διάπειραν ἔγνωσαν αὐτοῦ καὶ τῶν ἐν τέλει ποιήσασθαι, πῶς ἔχουσι γνώμης πρὸς αὐτούς, πότερον ὡς τυραννίδα παύσαντας ἀποδέχοιντο ἢ ὡς φονέας . . . Non praetermittam, quod Drumann egregie divinavit (p. 87): „Die Flüchtlinge auf dem Capitol mussten wissen, ob Rom, wenn es von seiner Betäubung erwachte, sie als Befreier oder Verbrecher empfangen werde. Zum Volke zu sprechen schien ihnen aber das Nächste“ praeclare Nicolai narratione comprobari. Quod Appianus dicit interfectoribus placuisse in vulgum largitiones circummittere (120), et multitudinem in forum statim congregatam magistratus vocasse (121), de ea re suo loco videbimus.

[3]) In codice post l. l. (adn. 2) lacuna est, (cf. Müller l. l. p. 447): ac quoniam dictum erat interfectores populum in contionem convocasse, id saltem supplendum erat eum in contionem convenisse.

[4]) quoniam proprie dictum erat interfectores non tam populum quam magistratus tentare voluisse (cf. Mommsen, St. R. III. p. 389), etiam Cinnae praetoris interventum (App. 121) excidisse putaverim.

[5]) Haec fere requiri mihi videbantur, quibus opponeretur, quod in codice post lacunam illam legitur: . . . μείζω κακὰ ἀπ' αὐτῶν ἐκραγήσεσθαι.

Quo in populi statu M. Brutum, in alto silentio populi futura exspectantis, cum probitate vitae suae ab omnibus honoratum, tum propter gloriam maiorum suorum et modestiam, quae eius propria credebatur esse, hanc orationem habuisse.[1])

Post contionem eos in Capitolium reversos deliberasse, quid in praesenti rerum statu faciendum esset. Placuisse autem eis legatos mittere ad Lepidum et Antonium, quibus persuaderent, ut ad ipsos in templum Capitolinum venirent et communiter cum ipsis deliberarent, quid e re publica futurum esset, quibusque promitterent, quaecunque a Caesare accepta tenerent, pro donis rata se habituros esse, ne horum saltem causa discordes essent.

Cum autem legati ad Lepidum et Antonium venissent, hos dixisse postridie se responsuros esse. Quibus vesperi sero factis multo maiorem detinuisse urbem tumultum, ac suis quemque rebus consuluisse communis salutis cura iam praetermissa, metuentem repentinas insidias et impetus, quoniam, qui primum obtinerent locum, in armis essent et castra castris opponerent, ipsis autem incertum esset, qui rerum potiturus esset.

Qua Nicolai narratione collata cum ceteris testimoniis tali fere ordine sese contio excepisse videtur:

Interfectoribus, cum Capitolio occupato a tergo tuti essent, placuit tentare, quomodo populus et magistratus sese adversus ipsos gesturi essent: itaque M. Brutus praetor urbanus una cum C. Cassio praetore populum convocavit.[2])

In urbe autem, ubi notum factum erat Caesarem occisum esse, populus per vias et per forum frequens discurrerat: cum igitur praetores populum convocarent, statim in forum congregatus est, et vel ei, qui primum fugerant, tamen, quod nemo occidebatur vel prehendebatur, animo recepto in contionem convenerunt.[3])

---

[1]) Orationem suam in ea contione habitam M. Brutus ipse postea edidit (Cic. ad. Att. XV. 1. b. 2). Quae apud Nicolaum de oratione M. Bruti tradita erant, excerptor in alium locum transtulit sic adnotans: ζήτει ἐν τῷ περὶ δημηγοριῶν (Schmidt l. l. p. 679).

[2]) Hoc sic quidem traditum non est, sed ex re ipsa requiritur (cf. Mommsen, St. R. II.[3] p. 127). Brutum et Cassium Appianus altero loco (137) una nominat.

[3]) Dio 20. 4. ὀψὲ δ'οὖν ποτε καὶ μόλις, ὡς οὔτε τις ἐφονεύετο, οὔτε συνελαμβάνετο, θαρσήσαντες ἡσύχασαν. καὶ συνελθόντων αὐτῶν ἐς ἐκκλησίαν . . Ex hoc

Qua occasione usus M. Cornelius Cinna praetor, affinis Caesaris, apparuit, et praeter omnium opinionem in rostra egressus vestem praetoriam exuit, et Caesarem tyrannum appellabat, et qui eum occidissent, tyrannicidas, et factum laudabat ut simillimum facto illi maiorum, et viros ut optime meritos vocari e Capitolio iussit praemiisque exornari (App. 121).

Ac Cinna quidem coniuratos ut tyrannicidas de Capitolio vocari iusserat, populus autem eos non vocavit:[1]) nam etsi a primo terrore se receperat, tamen vix credere poterat eos nihil aliud voluisse nisi tyrannum occidere, sed rem non parvo consilio[2]) actam esse persuasum habebat et maiora mala metuebat.

Hi autem rursus, cum tandem descenderent, adeo incerti erant de populi adversus ipsos sententia, ut gladiatores secum ducerent (p. 17. 1).

Dum igitur omnes initium malorum novorum exspectabant, M. Brutus in alto silentio populi rebus futuris attenti verecunde exceptus multis contra Caesarem ac pro republica verbis factis populum animos recipere neque quidquam mali exspectare iussit: non enim, ut ipsi rerum potirentur, neque alius ullius lucri causa se eum interfecisse, sed ut liberi et suo arbitrio recte rempublicam gererent.[3]) Praedicataque urbe populum adhortatus est, ut similem se praeberet maioribus, qui reges sustulissent, qui non per vim regnassent, ut Caesar, sed legitime creati essent (App. 122).

Populus autem neque indignatus neque laudans factum

---

loco apparet, quanto interfectoribus momento fuerit, quod eo die praeter Caesarem nemo omnino, ne casu quidem, occisus erat (p. 9).

[1]) Appian. l. l. *καί Κίννας μὲν οὕτως ἔλεξεν, οἱ δὲ . . οὐκ ἐκαλουν τοὺς ἄνδρας.* Quod Appianus Dolabellam quoque, antequam Brutus descenderet, contionantem fecit, de ea re suo loco videbimus.

[2]) Nic. l. l. *οὐ γὸρ ἀπὸ μικρᾶς διανοίας γεγονέναι ταῦτα.* scilicet tum nondum patefactum erat rem actam esse „consilio puerili“ (Cic. ad Att. XIV. 21, 3). Sic etiam servus confestim post Caesaris caedem, ante contionem M. Bruti, a matre Octavii cum nuntio facti Apolloniam missus bona fide narravit magnum impendere periculum Caesaris affinibus eiusque amicos interimi (Nic. 16.).

[3]) Dio 21. 1. quod Dio, ut iam prius, ubi Bruti potissimum nomen ponendum erat (p. 12. 5), vulgo de interfectoribus loquitur, inde factum est, quod has res magis summatim quam accurate tradidit.

verbis Bruti aures praebebat, sed ostendebat alto silentio Caesarem se miserari, revereri autem Brutum[1]).

Hic vero, oratione sua finita, et ceteri interfectores in Capitolium rursus se receperunt deliberaturi de praesenti rerum statu quid faciendum esset.

Atque populus quidem alto per contionem silentio significaverat factum ipsum minime se probare, sed quoniam oratione M. Bruti sibi persuaserat, interfectores otium velle, metu saltem liberatus est,[2]) nec defuere, qui animo erga interfectores mutato eis propter id ipsum faverent.[3])

Quare vesperi eius diei iam amici eorum et alii, qui primum in re publica obtinebant locum, ad eos se contulerunt gratulaturi, in quibus Cicero.[4])

Quod cum vidisset Dolabella, quem substituturus sibi Caesar designaverat consulem, ipse quoque minime cessandum ratus fasces atque insignia consulis usurpavit, et postquam paucis verbis factis alter post Cinnam eum, qui haec donaverat, conviciis laesit, et simulavit conscium se fuisse coniurationis et a caede ipsa tantum invitum se prohibitum esse, in Capitolium ascendit.[5])

Hi autem Dolabellam libenter apud se receperunt, ut qui minor aetate et populo acceptus et collega Antonii ipsis socius futurus esset (App. l. l.).

Tali fere modo contio, quaeque eam proxime in urbe secuta sunt, sese excepisse mihi videntur, fidem habenti non solum Nicolai narrationi continuae, sed etiam testimoniis singulis ceterorum scriptorum probabilitatem quandam prae se ferentibus.

Ac quamvis multa ambigua restent, illud mihi secuto Nicolai narrationem simplicem pro certo habendum esse videtur, inter-

---

[1]) Plut. Caes. 67. 3. quod Plutarchus contionem postero die posuit, non minus falsum est, quam quod senatum eo die posuit.

[2]) Dio 21. 2. τοιαῦτα ἄττα εἰπόντες τοὺς πολλοὺς κατέστησαν, καὶ μάλισθ' ὅτι οὐδένα ἠδίκουν.

[3]) Quod Lupienses illi (cf. p. 14. 2) Octavio narraverunt primo et secundo die, perterritis etiam Caesaris amicis, multos Bruto adhaesisse (17), ad primum potissimum diem referenda sunt.

[4]) App. 123 et Dio 21. 4 (cf. p. 14. 3.) Hos significat Cicero ad Att. XIV. 14.

[5]) App. 122 et Dio 22. 1, qui quidem, quamquam multo brevior est quam Appianus, tempus recte exhibere videtur.

fectores, cum populo convocato de Capitolio descenderent, ita dubitasse, utrum populus ipsos ut tyrannicidas an ut percussores excepturus esset, ut gladiatoribus illis D. Bruti saepti in contionem prodirent, populum autem sua vice etiamtum, cum Bruto in rostra escendenti aures praeberet, metuisse, ne interfectores amicis quoque Caesaris sublatis omnia miscerent et turbarent.

Quem quidem metum quomodo M. Brutus oratione sua discusserit populumque plane sedaverit, apud Nicolaum quidem excidit, sed Dio saltem (cf. p. 20. 2), quamvis breviter, recte exhibet.

Postquam haec de contione M. Bruti exploravimus, videamus iam, quomodo ea contio in vita Bruti descripta sit.

Plutarchus, postquam narravit interfectores in Capitolium secessisse, sic pergit (18. 3):

Primum quidem ortas esse vociferationes et discursus tale facinus fortuito consecutos tumultum auxisse; ubi vero neque caedes alia neque direptio ullius facta sit, animo recepto ascendisse senatores et de plebe multos ad viros in Capitolium. Congregato autem populo Brutum collocutum esse, quae ad populi animos captandos idonea essent et convenirent facto. Cum autem laudarentur et descendere clamore iuberentur, eos descendisse, ceteros invicem se comitatos, Brutum autem multos insignes viros in medio prosecutos valde splendide deduxisse ab arce et in rostris collocasse.[1])

4. Ad aspectum eius multitudinem quamvis promiscuam et ad tumultuandum paratam, tremuisse et futurum exspectasse composite et silentio. Atque cum prodisset, omnes tranquille verbis eius aures praebuisse; non tamen omnibus gratam esse Caesaris necem ostendisse multitudinem, cum adversus Cinnam in iram prolapsa maledictisque in eum invecta sit, quod Caesarem accusare exorsus esset.

Ideo viros in Capitolium rursus redisse, ibique metuentem obsidionem Brutum optimos eorum, qui una ascendissent, a se dimisisse iniustum esse ratum eos, qui facti socii non fuissent, idem subire periculum.

Haec Plutarchus in vita Bruti.

---

[1]) Hinz l. l. p. 65: „Eine wilde Fechterbande passt nicht als Staffage auf das schönfarbige Bild, das Plutarch von den Vorgängen unmittelbar nach der Mordthat entwickelt."

Vix dubium est, quin Plutarchus in vita Bruti talia narrans ea proferat, quae ab Empylo rhetore, Bruti familiari, in libro de caede Caesaris, inscripto „Brutus", in eius laudem composita erant (c. 2, cf. Wichmann „De Plut. in vit. Brut. et Ant. font." Bonn 1874, p. 19).

In Plutarchi igitur vita Bruti haec contio falso descripta erat, ut Bruti persona augeretur: nunc iam videamus, quo modo Appianus, qui quidem proximus post Plutarchum scripsit, eandem rem tractaverit. Narrat autem haec:

120. Occupato Capitolio interfectoribus placuisse in vulgum congiaria distribuere; [1]) speravisse enim eos, si essent, qui factum laudarent, etiam ceteros sic esse facturos ratione habita libertatis et desiderio reipublicae.

Eos enim credidisse populum Romanum talem prorsus esse, qualem fuisse temporibus prisci Bruti compertum habuissent, neque conscios sibi factos esse, duas res inter se contrarias se exspectare, libertatis amantes simul et mercennarios ipsis fore eos, qui in contione adessent.

Atque alterum quidem facilius fuisse corrupta iam dudum republica.

Nam peregrinos iam inter populum mixtos esse, et libertinum pro cive se gerere, et servum eundem, quem dominus, vestitum habere, et frumentum plebi pauperi praebendum sola in urbe otiosum et mendicum et sceleratum Italiae populum Romam adducere et e veteranis, non iam domum dimissis, ut olim, metu exorto, ne iniusta bella gessissent, sed catervatim in colonias per iniuriam deductis, multitudinem aliquam una tum locatam fuisse in templis et areis, .sub uno vexillo et sub uno duce coloniae, atque hos quidem suas res, ut profecturos iam, venumdedisse, venales autem fuisse, in quodcunque conducerentur.

121. Unde non difficile ex tot et talibus hominibus multitudinem aliquam Cassio in forum statim congregatam fuisse; quos, quamvis pretio conducti fuissent, tamen factum laudare ausos non esse metuentes Caesaris gloriam et periculum a reliquis imminens, sed, quoniam e republica esset, pacem clamasse et identidem magistratus pro pace advocasse — hoc dolo in inter-

---

[1]) καὶ αὐτοῖς βουλευομένοις ἔδοξεν ἐπὶ τὸ πλήθη μισθώματα περιπέμπειν.

fectorum salutem excogitato: non enim fore pacem nisi concessa eis oblivione caedis.

Tali in statu versantibus primum apparuisse Cinnam praetorem, affinem Caesaris, et praeter opinionem in medium progressum vestem praetoriam exuisse quasi a tyranno datam detestantem et Caesarem tyrannum vocasse, et qui eum occidissent, tyrannicidas, et factum laudasse ut simillimum facto illi maiorum, et viros ut bene meritos iussisse vocari e Capitolio praemiisque exornari.

Et hunc quidem haec dixisse, mercennarios autem, non videntes incorruptam partem populi sese cum ipsis miscere, ausos non esse viros vocare neque quidquam amplius quam de pace sola iterum clamasse.

122. Cum autem etiam Dolabella, homo aetate minor, et nobilissimus, et consul designatus, ut, quum Caesar paludatus exisset, iniret, vestem quidem consularem induisset et insignia magistratus arripuisset, eum autem, qui haec ei donaverat, alter conviciis laesisset et simulasset conscium se fuisse coniurationis, et a caede ipsa tantum invitum se afuisse (esse etiam, qui dicerent eum rogasse, ut is dies urbi natalis constitueretur), tum demum etiam mercennarios audaces factos esse — utpote cum et praetor et consul cum ipsis consentirent — et viros e Capitolio vocasse.

Hos autem laetatos quidem esse de Dolabella et putasse se habituros virum facilem et nobilem et consulem, quem Antonio opponerent, descendisse autem ex eis solos Cassium et Brutum.

Cum autem in medium prodissent, nihil humile utrumque locutum esse, sed ut in re bene gesta invicem se laudasse et urbi gratulatos esse et Decimo maxime gratias egisse, quod gladiatores ipsis in tempore praebuisset. Et populum eos adhortatos esse, ut idem faceret, quod maiores, qui reges expulissent, qui non per vim regnassent, sed legitime creati fuissent.

Sextumque Pompeium, Pompei Magni filium, eius, qui cum Caesare pro republica bellum gessisset, eos censuisse revocandum esse, bello tum oppressum a Caesaris legatis in Hispania, et tribunos plebis Caesetium et Marullum, qui magistratu a Caesare moti exules essent.

123. Talia Cassium et Brutum locutos esse et redisse rursus in Capitolium, nondum confidentes populo. Amicos vero et propinquos eorum tum demum in Capitolium ire potuisse, et creatos esse, qui ad Lepidum et Antonium mitterentur de concordia et de suscipienda cura libertatis et de praecavendis malis urbi instantibus, nisi inter se consentirent.

Quam Appiani narrationem si iam conferimus cum narratione Plutarchi, illud primum nobis occurrit, Appianum multa, quae quidem in vita Bruti neglecta erant, recte adnotasse.

Nam cum Plutarchus et senatorum in Capitolium ascensum [1]) et impetum in Cinnam factum perverse tempore priore posuisset, Appianus non solum contione narrata proprie commemoravit amicos tum demum in Capitolium ascendere potuisse, [2]) sed etiam de impetu contra Cinnam in senatum euntem facto luculenter adnotavit, hoc primum exemplum fuisse verae populi de Caesaris caede sententiae. [3]) Equidem hoc vix casui tribuerim.

Atque his quidem duobus locis Appianus sine dubio incorruptam rerum memoriam felicissime nobis ex Asinio Pollione servavit; [4]) quod autem apud Plutarchum proditum inveneramus populo congregato fuisse, qui Brutum laudarent et descendere iuberent, [5]) hunc quidem errorem Appianus vitavit, ut crederet Brutum civium acclamationibus de Capitolio vocatum esse, sed in alios errores sese implicavit paene inextricabiles.

Dicit enim interfectoribus, ubi in Capitolium fugerint, placuisse homines in usum suum conducere: ac quoniam in eo consilio disserendo diutius commoratus est, primum quidem paulo accuratius videamus, quae de eo attulerit.

Excusat enim quasi interfectores, cum dicat eos bona fide credidisse reliquos exemplum eorum, qui factum laudarent, se-

---

[1]) ὡς οὔτε φόνος ἄλλος (sc. praeter caedem Caesaris) οὔθ' ἁρπαγή τινος ἐγίνετο τῶν κειμένων, θαῤῥοῦντες ἀνέβαινον οἵ τε βουλευταὶ καὶ τῶν δημοτῶν πολλοὶ πρὸς τοὺς ἄνδρας εἰς τὸ Καπιτώλιον.

[2]) 123 τῶν δ'οἰκείων σφισι καὶ συγγενῶν τότε πρῶτον ἐς τὸ ἱερὸν ἐλθεῖν πρὸς αὐτοὺς δυνηθέντων . .

[3]) 126 τοῦτο μὲν δὴ πρῶτον ἔργον παῤῥησίας ἦρξεν ἐπὶ τῷ Καίσαρι.

[4]) Huc etiam referenda sunt, quae Appianus de Dolabellae consulatu deque eius oratione exhibet. (Quod dicit: εἰσὶ δ'οἳ καὶ λέγουσιν αὐτὸν ἐςηγήσασθαι .. sine dubio iam apud Asinium Pollionem exstabat).

[5]) ἐπαινούντων καὶ κατιέναι βοώντων.

cuturos esse amore libertatis et desiderio reipublicae, et aperte eloquatur, eos conscios sibi omnino factos non esse (οὐ γὰρ συνίεσαν .. duas res inter se contrarias se exspectare, libertatis amantes simul et nummarios homines in contione praesentes ipsis fore. Deinde hoc alterum facilius fuisse corrupta iam dudum republica exemplis compluribus aptissime illustravit.

Ne tamen credamus Appianum haec omnia in fonte suo invenisse, vel hoc impedit, quod priscis temporibus non tam opposuit, qualem civitas speciem Bruti aetate habuerit, quam qualem usque ad suam ipsius aetatem acceperit. Nam haec exempla altulit: παμμιγές τε γάρ ἐστιν ἤδη τὸ πλῆθος ὑπὸ ξενίας, καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστί, καὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος (Mommsen, St. R. III. p. 220. 4). Τό τε σιτηρέσιον τοῖς πένησι χορηγούμενον ἐν μόνῃ Ῥώμῃ τὸν ἀργὸν καὶ πτωχεύοντα καὶ ταχυεργὸν τῆς Ἰταλίας λεὼν ἐς τὴν Ῥώμην ἐπάγεται (Mommsen, l. l, p. 444 sqq.).

In fine demum huius digressionis, postquam de more veteranorum in colonias deducendorum locutus est (τό τε πλῆθος τῶν ἀποστρατευομένων . . . κοινῇ ἐς κληρουχίας . . . ἐξιόν) ad praesentem tum rerum statum rediens de his quidem proprie adnotavit magnam tum multitudinem in urbe fuisse (ἄθρουν τότε ἐστάθμευεν ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ τεμένεσι, cf. p. 12).

Deinde pergit ex his et aliis hominibus pretio venalibus non difficile turbam aliquam Cassio in forum statim collectam fuisse,[1]) quae, cum non solum Cinna praetor Caesaris memoriae obtrectasset, sed etiam Dolabella consul participem se coniurationis fuisse simulasset, tum demum Cassium cum suis e Capitolio vocaverit. [2])

Ut autem Appianus multitudinem Cassio congregatam (adn. 1) Cassium potissimum de Capitolio vocasse dixit (adn. 2), eadem prorsus ratione pergit Cassium et Brutum descendisse[3]) et utrumque orationem habuisse[4]) et post contionem Cassium cum suis in Capitolium redisse. [5])

---

[1]) 121 ὅθεν οὐ δυσχερῶς ἐκ τοσῶνδε καὶ τοιῶνδε ἀνδρῶν πλῆθός τι τοῖς ἀμφὶ τὸν Κάσσιον ἐς τὴν ἀγορὰν εὐθὺς ἀγήγερτο.

[2]) 122 ἐπεὶ δὲ καὶ Δολοβέλλας . . δεύτερος ἐλοιδόρει, τότε δὴ καὶ οἱ μεμισθωμένοι ἀνεθάῤῥουν, καὶ τοὺς ἀμφὶ τὸν Κάσσιον ἐκ τοῦ ἱεροῦ κατεκάλουν.

[3]) κατῄεσαν δὲ αὐτῶν μόνοι Κάσσιός τε καὶ Βροῦτος ὁ Μᾶρκος.

[4]) οὐδὲν ταπεινὸν οὐδέτερος εἶπεν, ἀλλ 'ἀλλήλους ἐπῄνουν.

[5]) το ἅδε μὲν εἶπον οἱ περὶ τὸν Κάσσιον . .

Sed quamvis ea res plane diiudicari non possit, tamen, ut pro certo haberi potest Brutum priore loco orationem habuisse, ita veri simile est, eum solum locutum esse. Hoc iam Drumann admonuit (p. 88).

Ne hoc quidem casui tribuerim, Appianum, cum in vita Bruti ad hunc celebrandum omnia composita essent,[1]) constanter Cassii nomen posuisse, Bruti autem nomen paene evanescere.

Atque ut iam ad finem comparationis huius perveniamus, cum in vita Bruti verbis multis expositum esset, reliquos coniuratos inter se ordinatos descendisse, Brutum autem cinctum senatorum et optimorum virorum multitudine de Capitolio ad rostra deductum esse,[2]) Appianus comitatum illum Bruti splendidum recte quidem omisit, sed multum abest, ut ei credere possimus ex interfectoribus solos Cassium et Brutum descendisse.[3])

Nam etsi sine dubio non omnes interfectores de Capitolio descenderunt, sed relicti erant, qui Capitolium custodirent, tamen hos duos solos in contionem prodisse vix probabile est. Hoc quoque iam Drumann (l. l.) admonuit.

Haec habui, quae in universum de Appiani narratione praemitterem. Quam satis ut explicarem, etsi fortasse non ab omni parte mihi contigit, tamen ad eam recte intellegendam adminiculum saltem mihi videbatur esse, si sumeremus ei, cum hanc contionem ex Asinio Pollione describeret, simul Plutarchi vitam Bruti ante oculos fuisse, in qua quidem novissime haec contio paulo amplius narrata erat. Inde factum putaverim esse, ut Appianus alia optime memoriae traderet, alia studio contradicendi vulgatae illi apud Plutarchum narrationi ultra modum provectus perverse proferret.

Sed vel sic multa restant, quae satis explicare difficillimum est. Ac primum quidem de mercennariis illis paulo accuratius videamus.

---

[1]) cf. de Plutarchi more Hinz p. 64: „Wo die Mörder in ihrer Gesamtheit den Caesarianern gegenübertreten, bekundet er selbstverständlich ihnen allen seine Sympathie; er nennt sie alsdann meistens οἱ περὶ Βροῦτον.“

[2]) οἱ μὲν ἄλλοι συνεπόμενοι μετ' ἀλλήλων, Βροῦτον δὲ πολλοὶ τῶν ἐπιφανῶν περιέποντες ἐν μέσῳ πάνυ λαμπρῶς κατῆγον ἀπὸ τῆς ἄκρας καὶ κατέστησαν ἐπὶ τῶν ἐμβόλων.

[3]) κατῄεσαν δὲ αὐτῶν μόνοι Κάσσιός τε καὶ Βροῦτος.

Appianus igitur dicit interfectoribus, cum Capitolium occupassent, placuisse factionem sibi comparare, quae laudato facto reliquos ad imitandum incitaret. Inde non difficile ex plebe urbana paupere et mendica, et veteranis, qui quidem, ut profecturi iam, res suas venditas habuissent venalesque fuissent in quodcunque conducerentur (εὔωνοι ἐς ὅτι μισθοῖντο), multitudinem aliquam in forum statim congregatam esse; sed vel apud mercennarios Caesaris memoriam tantum valuisse, ut factum laudare non auderent, sed pacem tantum clamarent, re vera quidem in interfectorum salutem, ut his oblivio caedis concederetur, hoc excogitantes, specie vero in communem omnium salutem pacem postulantes.

Atque ut iam, quae Appianus de veteranis attulit, diligentius inspiciamus, paulo infra dicit incorruptam partem populi et veteranos (126: τινὲς τῶν ἀδεκάστων καὶ τῶν ἐστρατευμένων τῷ Καίσαρι) in Cinnam impetum fecisse, quod impie contra Caesarem contionatus esset, et hoc conatu corruptam partem populi et interfectores magnopere perterritos esse (καὶ αὐτὸ κατέδεισαν οἵ τε μισθωτοὶ καὶ οἱ σφαγεῖς αὐτοί), et hos ipsos pollicitationibus maximis veteranorum furorem restinguere coactos esse (139—141).

Num igitur credemus eos veteranos, qui Cinnam Liberalibus propter orationem eius maledicam paene ad mortem redegerunt et ab interfectoribus nisi summa contentione sedari non potuerunt, Idibus interfectoribus venales fuisse in quodcunque conducerentur et una cum aliis corruptis eos de Capitolio vocasse?[1])

At veterani primo die nihil contra interfectores moliti sunt, et quod hi metuerant, ne veterani Capitolium aggrederentur (p. 14), non accidit. Unde hoc factum est?

De ea re exstat testimonium hoc (Flor. IV. 7): „Brutus et Cassius sic Caesarem quasi Tarquinium regem depulisse regno videbantur, sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt. Igitur caede perfecta cum veteranos Caesaris, nec immerito, timerent, statim e curia in Capi-

---

[1]) In ea re iam Schiller offendit (p. 13. 6): „Appian lässt die μισθωτοί im Sold der Caesarmörder stehen; es ist aber schwer, einzusehen, wie diese so schnell Veteranen Caesars gewinnen konnten.“ Nec tamen Schillero assensus sim conicienti Dolabellam hos veteranos conduxisse.

tolium confugerant. Nec illis ad ultionem deerat animus, sed ducem nondum habebant.“

Veterani igitur ab initio prompti erant ad Caesarem ulciscendum, sed quoniam primo die Antonius consul domi se tenebat, Lepidus autem in castris etiam aberat, nihil eo die ausi sunt.

Illud igitur fortasse contendere licet Appianum, cum veteranos inter eos recenseat, inter quos pecuniae distributae sint, sibi ipsi non satis constare. Sed etiamsi veteranos mittamus, reliqua non magis quadrant.

Nam quamvis facile fuerit ex talibus, quos Appianus enumerat, hominibus, factionem sibi comparare (Mommsen, Röm. Tribus p. 184), quomodo factum putemus esse, ut interfectores, cum ipsi in Capitolium fugissent, populus autem in forum statim (εὐθύς) congregatus esset, interim huic pecunias distribuendas misissent?

Ex hac difficultate ne Drumann quidem alia ratione sese expedire potuit, nisi ut Appiani de tempore huius contionis testimonio reiecto contionem secundo die poneret (p. 87); eumque secuti sunt adhuc omnes.

Sed vidimus iam Appianum hoc quidem loco de tempore minime errasse, et quod Ciceronis testimonium suo loco attulimus (p. 11), accessit testimonium certissimum Nicolai Drumanno tum ignotum.

Quodsi Appianus contionem rectissime primo die habitum esse tradidit, non video, quomodo interfectores ante contionem in vulgum largitiones circummittere potuerint.

Atque ut iam ea contemplemur, quae Appianus de populi in contione ipsa condicione attulit, num haec quadrant in coetum subornatum et mercede allegatum?

Nam quod Appianus dicit interfectores populum[1]) ad hortatos esse, ut similem se praestaret maioribus, quis sibi persuadeat interfectores homines mercede conductos, cum cetera pars populi procul se teneret (121), sic appellaturos fuisse?

Neque illud praetermittendum est Appianum ipsum dicere interfectores in Capitolium redisse, quod populo in contione praesenti nondum confiderent (123: οὐ γὰρ ἐθάῤῥουν πω τοῖς παροῦσιν).

---

[1]) 122 τόν τε δῆμον ἐξώτρυνον, ὅμοια τοῖς προγόνοις ἐργάσασθαι.

Num veri simile est eosdem, qui interfectoribus ne minimum quidem signum suae ergo ipsos voluntatis dederunt, ab his donis conciliatos fuisse?

Satis mihi iam demonstrasse videor Appiani de mercennariis narrationi, vel si mittamus ceterorum scriptorum testimonia certissima, tot obstare ipsius testimonia[1]), ut eam reicere fere cogamur[2]).

Unde autem Appianus in hanc narrationem inciderit, nunc quidem nondum liquet, sed fortasse melius cognoscetur, ubi ad alteram illam de mercennariis narrationem (130—132) progressi erimus.

Ac quoniam Appianus dicit mercennarios Dolabellae interventu adductos esse, ut interfectores de Capitolio vocarent, iam de Dolabella paulo diligentius videamus.

Quod quidem optime sic instituemus, ut Cinnae et Dolabellae condicionem inter se conferamus.

Ac Cinna quidem vestem praetoriam (Mommsen, St. R. I^3 p. 419, 5.) exuit ut a tyranno datam: scilicet nondum certior factus de consiliis et potentia interfectorum exspectabat hos acta Caesaris rescissuros esse.[3])

Longe autem alia de Dolabella nobis traduntur; nam is in consulatum a Caesare sibi destinatum invasit: id audere vix poterat, antequam Brutus contione illa exposuit, se Caesaris amicis parcere neque quidquam de republica mutare velle.

Admonuerim Appianum iam ante de tempore errasse, quo sese Dolabella interfectoribus adiunxerit; nominavit enim eum inter eos, qui interfectoribus quasi caedis socii sese aggregabant, antequam hi in Capitolium ascendebant (p. 11). Sed, ut alia mittam, manifestum est, quod Appianus ipse adnotat, hos omnes postea proscriptos esse, in Dolabellam cadere non posse.

---

[1]) de veteranis (p. 27 sqq.), de tempore huius contionis (p. 28), de interfectorum adversus populum et de huius adversus interfectores condicione (p. 28—29).

[2]) Quis non assentietur Gardthausenio, quod in contione narranda mercennariorum illorum ne mentionem quidem fecit (p. 33)?

[3]) idem postea in senatu nonnulli praetores fecisse dicuntur, cum ageretur de actis Caesaris rescindendis (129).

Itaque, quod ad tempus attinet,[1]) rectius mihi videtur apud Dionem traditum esse Dolabellam post interfectorum in Capitolium reditum exemplum aliorum secutum pauca contionatum[2]) in Capitolium ascendisse.

Si igitur excipias Dolabellae interventum, aptissime inter se omnia cohaerent: nempe populus indignatus de Cinnae impia oratione adhortationi eius, ut interfectores de Capitolio vocaret, non obsecutus est, sed exspectavit, dum hi ipsi de Capitolio descenderent (cf. p. 19).

Atque ut tandem ad contionem ipsam perveniamus, Cassius et Brutus dicuntur non solum populum adhortati esse, ut similem se praestaret maioribus, sed etiam tulisse, ut Sex. Pompeius ex Hispania[3]) tribunique plebis Caesetius et Marullus, qui tum exularent, revocarentur (cf. Drumann p. 88).

Ac profecto Sex. Pompeius postea ab Antonio senatus consulto facto[4]) revocatus est; sed credemus Brutum, ubi primum post caedem ad populum orationem habuerit, de Sex. Pompeio revocando locutum esse?

Appianus ipse egregie nobis tradidit Brutum contradixisse, ne Antonius et ceteri amici una cum Caesare interficerentur, metuentem, ne insito Pompeianarum partium studio hoc fecisse viderentur (114).

Num probabile est eum, qui suspicionem illam, ne Pompeianus esse videretur, tantopere vitare voluit, prima statim occasione studium suum partium Pompeianarum tam non celare potuisse, ut de Sex. Pompeio revocando rogaret?

Quod autem ad tribunos illos attinet, exspectares eos, si etiam tum, ut Pompeius, extra urbem fuissent, item ut hunc et

---

[1]) De tempore tantum loquor: nam ea ipsa, quae Appianus de Dolabellae designatione eiusque oratione tradidit, prorsus plana sunt (p. 24. 4).

[2]) Dio 22. 1. Ne in eo haereas, quod Dolabella vesperi demum contionatus esse videtur: nam veri simile est forum, qualis eo die fuerit status rerum publicarum, etiam post contionem M. Bruti frequentatum fuisse hominibus.

[3]) Σέξτον τε Πομπήιον . . καλεῖν ἠξίουν, πολεμούμενον ἔτι πρὸς τῶν Καίσαρος στρατηγῶν ἐν Ἰβηρίᾳ. C. Asinius Pollio pro praetore Hispaniam ulteriorem tum obtinebat.

[4]) App. III. 4 et Dio 45. 9. Hoc senatus consultum Kalendis Sextilibus factum esse ex Cicerone apparet (ad Att. XVI. 4 et XIII. Phil. 10).

alios exules postea revocatos esse; sed de ea re non modo nihil compertum habemus, sed etiam exstat testimonium certissimum et fide dignissimum, eos iam a Caesare ipso reductos fuisse et Romam redisse (Nic. 22, cf. Schmidt l. l. p. 677).

Difficile est dictu, quomodo Appianus tam perversa de Bruti contione proferre potuerit; sed quaecunque hoc loco desiderantur, altero loco addita invenimus.

Nam orationi Liberalibus in Capitolio habitae, qua id agebatur, ut veterani (139—141) de praediis suis solliciti ab oppugnando Capitolio arcerentur, Appianus praemisit alteram orationem, qua M. Brutum cives (137—138) alloquentem fecit et argumentis multis exponentem Caesarem ut tyrannum optimo iure caesum esse.[1])

Atque haec quidem Bruti verba una cum altera oratione dicuntur omnes laudavisse ut iustissima, et viros ut intrepidos et populi amantissimos admirati esse, et in benevolentiam erga eos versi esse (142).

Tali autem orationi, quo minus locus atque occasio erat Liberalibus, eo magis Idibus, quibus quidem M. Brutus id agebat, ut populum de consilio ac ratione facti edoceret.

Haec prior igitur oratio paene necessitate quadam ad contionem Idibus habitam referenda est:[2]) ut autem ibi Sex. Pompei mentio omnino non fit, ita tribunorum illorum res verbis plurimis commemoratur quidem, qua demonstretur, quantopere Caesar

---

[1]) Sic Bruto haec verba tribuuntur 138: „Οὐδὲ προεβούλευεν ἡ βουλὴ περὶ οὐδενός, οὐδ' ὁ δῆμος ἐπεκύρου, ἀλλὰ πάνθ' ὁ Καῖσαρ ἦν ἐξ ἐπιτάγματος.“ cf. similem locum IV. 92: „Τὸ δὲ κῦρος . . ἐφ ἡμῖν ἀντιλαμβάνετε αὐτοί, προβουλευούσης μὲν τῆς βουλῆς, ἵνα μὴ σφάλητε, κρίνοντες δ' αὐτοὶ καὶ ψηφιζόμενοι κατὰ φυλὰς ἢ λόχους“ (Mommsen, St. R. III. p. 1047). Huc cadunt etiam, quae Brutus de claustris aerarii revulsis Caesari obicit, cf. 41 (Mommsen, R. G. III^{8}. p. 393).

[2]) Hoc iam Müller in dissertatione optime exposuit (p. 66). Id igitur tenendum est re vera non agi de duabus orationibus diversis, sed de eadem oratione primum suo quidem loco (122), sed minus recte, deinde non suo quidem loco, sed recte narrata (137—138). Ne in eo haereas, quod Cicero eam orationem habitam esse dicit „in contione Capitolina“ Nam ut Cicero primum diem, quamvis interfectores eo die in contionem ad forum descendissent, „Capitolinum“ appellavit (ad Att. XIV. 10. 1. cf. p. 15), ita contionem quoque ipsam eo die habitam appellare poterat Capitolinam (Müller, p. 40).

leges contempserit, sed de his quasi in exilio viventibus ac revocandis nihil dicitur (138).

Postquam iam exploravimus, quo sese ordine contio excepisse videatur (p. 18—20), et Plutarchi in vita Bruti (p. 21—22) et Appiani (p. 22—32) narrationes propriis capitibus tractavimus, tandem videamus, quid interfectores post contionem in Capitolium reversi fecerint.

M. Brutus contione illa populum pacaverat: restabat interfectoribus, ut Antonium et Lepidum ad suas partes traherent.

Penes Antonium enim consulem tum summa rerum erat:[1]) ideo Brutus, qui quidem non desperaverat Antonium sublato Caesare sese cum ipsis coniuncturum esse,[2]) Ciceronem rogabat, ut Antonium ad defendendam rempublicam adhortaretur (II Phil 89).

Cicero autem, ut ab initio exspectaverat Antonium quoque occisum iri,[3]) ita tum ad eum ire recusavit, quod pax diuturna et stabilis cum eo pangi non posset. Itaque ceteri consulares una cum Cicerone in Capitolium egressi[4]) Antonium adhortari susceperunt.[5])

Quod vero ad Lepidum magistrum equitum attinet, huius quidem magistratus Caesaris dictatoris morte ipsa finitus erat[6]), sed ut in provinciam iturus prope urbem[7]) cum una legione erat: hunc igitur non minus quam Antonium conciliare interfectorum intererat.

---

[1]) Mommsen, St. R. II³. p. 715: „Caesar hatte eine formale Bestimmung über das nach seinem Tode eintretende Regiment nicht getroffen und der Eintritt des gewöhnlichen konsularischen Regiments bei seinem Tode hat sich nicht durch Umstossung seiner Anordnungen, sondern in verfassungsmässiger Weise vollzogen.“ et p. 740.

[2]) Plut. Brut. 18. 2.

[3]) ad Att. XV. 11. 2.

[4]) p. 20. 4, cf. Cic. l. l.: „itaque, eum ceteri consulares irent . .“. Hi erant fortasse Serv. Sulpicius Rufus „pacificator“ (Cic. ad Att. XV. 7) et L. Iulius Caesar, avunculus Antonii (Cic. ad fam. X. 28. 3 et XII, 23 et ad Att. XIV. 17. A. 3).

[5]) Id Appianus significat, cum dicat legatos missos esse ad Antonium de cura libertatis suscipienda (123: περὶ . . προνοίας τῆς ἐλευθερίας).

[6]) Mommsen, St. R. II³ p. 175. 7.

[7]) Quod Appianus dicit eum factum comperisse in foro versatum (118: ἐν ἀγορᾷ μὲν ὢν ἐπύθετο τοῦ γεγονότος: item Lepidum postridie in rostris stantem haec dicentem facit — 131 —: ἐνταῦθα χθὲς μετὰ Καίσαρος ἱστάμην), iam Dru-

Mandaverunt autem legatis, ut Antonio et Lepido persuaderent, ut ad ipsos in Capitolium venirent, et communiter cum ipsis de reipublicae salute deliberarent. Quod quo facilius impetrarent, promittebant se, quaecunque illi a Caesare accepta tenerent, pro donis rata habituros esse, ne horum saltem causa dissentirent (Nic. 27.).

Vidimus iam interfectores speravisse senatum in curia remanentem acta Caesaris rescissurum esse (p. 12): sed quoniam haec spes eos fefellerat, Antonio et Lepido pacis et concordiae causa concedere coacti sunt, ut acta Caesaris servarentur.[1]) Quod ut quodammodo obtegerent, dicebant se, quoscunque Caesar honores eis dedisset, pro donis habituros esse (Nic. l. l.).

Cum his mandatis legati sero iam vesperi (Nic. l. l.: περὶ δείλην ὀψίαν) ad Antonium et Lepidum iverunt eosque imploraverunt, factum non laudantes quidem, sed quoniam factum esset, ferendum esse censentes, misericordia eorum, qui id commisissent, et consideratione, quanta calamitas urbis exhaustae dissensionibus civilibus continuis foret, si vel reliquos bonos viros tumultus impendens perderet; vel si implacabili adversus interfectores odio essent, ut in praesenti saltem inimicitias deponerent (App. 123.).

Antonius autem et Lepidus responsum in posterum diem distulerunt.[2]) Itaque cum incertum esset, quid hi mente agitarent, populus contione M. Bruti vix certior factus interfectores pacem velle, nunc de consiliis Antonii et Lepidi metu summo affectus est et per totam noctem, denuo incertus de rebus futuris, trepidavit. Sed hi ea quidem nocte nihil iam egerunt, sed postero demum die consilia sua patefecerunt.

Audiamus iam, quae Nicolaus de postero die exhibeat (27):

Postero die in armis fuisse Antonium consulem, Lepidum

---

mann reiecit (p. 14). Immo, cum Caesar interficeretur, in castris suburbanis erat (p. 12. 3) ibique factum comperit (Zon. X. 12: ὁ Λέπιδος ἐν τῷ στρατοπέδῳ μαθὼν τὰ γεγενημένα).

[1]) Paulo brevius Suetonius id significat, cum dicat (Caes. 83): „Fuerat animus coniuratis . . acta rescindere, sed metu M. Antoni consulis et magistri equitum Lepidi destiterunt.“

[2]) Nic. l. l. τοῖς δ' ἥκουσιν ἐκείνοις ἔφασαν εἰς τὴν ὑστεραίαν ἀπόκρισιν δώσειν. id significare videtur Cicero (II Phil. 89, p. 11 et 32. 4), cum dicat legatos „isse redisse“ i. e. infecta re redisse.

autem collecta non parva manu satellitum per medium forum ingressum esse caedem Caesaris ulturum.[1])

Ubi id factum esse viderent, qui ante dubii fuissent, hos confluxisse ad illos arreptis armis, suo quemque cum sodalicio,[2]) et magnum exercitum factum esse. Fuisse etiam, qui metu id facerent, qui non vellent manifestum fieri suum de Caesaris caede gaudium, sed cum his facientes inservirent spei rerum futurarum.

Multos autem nuntios missos esse ad eos, qui a Caesare beneficia accepissent, (sive in urbibus sedes accepissent, sive in agros deducti fuissent, sive pecuniae eis distributae fuissent), — in eo enim esse, ut omnia corruerent, nisi ab ipsis quoque strenue aliquid ageretur. Multas lamentationes et supplices preces apud illius amicos factas esse, et maxime eos, qui in expeditionibus eius quondam socii fuissent, meminisse iubentes, qualis vir qualia passus esset, quod destitutus fuisset ab amicis.

Confluxisse autem iam multos vel miseratione vel amore commotos, vel sua sibi lucra ex novis rebus quaerentes, et tum maxime, ubi remissius ab adversariis agi viderent, neque uti ante exspectavissent in suspicione virium maiorum. Dictum autem esse iam palam, opus esse eum ulcisci, neque aliter facere, neque caedem impunitam sinere. Alios autem alia in coetus congregatos dixisse, hos ab his, illos ab illis stantes.

Quorum autem rempublicam restitui interesset, laetantium de universa rerum commutatione, hos reprehendisse Caesaris interfectores, quod non plures interemissent eorum, qui tum suspecti fuissent, et stabilitam ipsis reddidissent libertatem: negotia enim, qui relicti essent, non pauca paraturos esse.

---

[1]) Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ἦν μὲν ἐν ὅπλοις Ἀντώνιος ὕπατος ὤν, Λέπιθος δὲ ἀθροίσας οὐκ ὀλίγην στρατιὰν ἐπικούρων, διὰ μέσης ἀγορᾶς διεξῄει, ἀμύνειν ἐγνωκὼς Καίσαρι.

[2]) ὡς δὲ τοῦτο γεγονὸς εἶδον οἱ πρότερον ἐνδοιάζοντες, συνέῤῥεον πρὸς αὐτοὺς μεθ' ὅπλων κατὰ ἰδίας ἑταιρείας, καὶ μέγα στράτευμα ἐγένετο. cf. Mommsen (De collegiis et sodaliciis, Kiliae 1843) p. 40. § 6: „Cum rerum ordo apud Romanos immutaretur, et liberae rei publicae forma in regnum sensim abiret, Romae quoque malorum hominum consociationes illae, quae turbas civiles et sequi et incitare rursus solent, saepissime fiebant. Quae . . in rebus Romanis enarrandis neutiquam negligendae sunt.“ Hic igitur habes exemplum luculentissimum, quantam singulae factiones vim in rebus publicis moderandis tum habuerint.

Fuisse etiam, qui providentia maiore usi, et peritia eorum, quae sub Sulla ante aliquando accidissent, edocti, hortarentur, ut medios se inter ambas partes tenerent; nam tunc quoque eos, qui perisse viderentur, rursus potentia recuperata, eos, qui vicissent, superasse.[1]) Multum laborem praebiturum esse Caesarem, etsi mortuus esset, interfectoribus et horum factioni, magnis exercitibus instantibus, quibus viri praeessent ad agendum strenui.[2])

Antonium autem, antequam paratus fuisset, missis legatis collocutum esse cum interfectoribus in Capitolio versantibus;[3]) cum autem multitudini armorum et veteranorum confisus esset, administrare constituisse rempublicam, sedato in urbe tumultu.

Primum autem eum amicos in consilium convocasse, ut inter se deliberarent, quomodo adversus interfectores se gererent.

Atque Lepidum quidem sententiam dixisse, eos vel bello opprimendos et Caesarem ulciscendum esse, Hirtium autem censuisse cum eis transigendum esse amicitiamque iungi oportere.

Alium autem Lepido assensum contrarium dixisse, addentem non solum nefas esse caedem Caesaris inultam sinere, sed ne ipsis quidem securum, qui illius amici fuissent. Nam etsi in praesenti interfectores quiescerent, certo, simul ac potentiam nacti essent, eos ad maiora cessuros.

Antonium autem Hirtii sententiae adstipulantem servandos eos esse censuisse.

(Fuisse etiam, qui ex urbe eos dimittendos esse existimarent fide data.)

Atque hic quidem Nicolai narratio abrumpitur; nam ex-

---

1) cf. Mommsen, R. G. III[8]. p. 40 sqq.: „Die Sullanische Restaurationsherrschaft.“

2) cf. etiam 28. sic Cicero (ad Att. XIV. 5) exclamat: „Vides magistratus, si quidem illi magistratus, vides etiam tyranni satellites in imperiis, vides eiusdem exercitus, vides in latere veteranos, quae sunt εὐρίπιστα omnia.“ De legionibus a Caesare relictis et singulis legatis his propositis cf. Mommsen, Militärsystem Caesars, l. l. p. 7—8. 11.

3) Appianus autem has res valde contrahens Antonium ipsis legatis primo iam die respondentem fecit (124: ὁ 'Αντώνιος τοὺς εἰπόντας ἠμείψατο); unde factum est, ut senatum Liberalibus habitum secundo die poneret (126, cf. p. 5).

cerptor sic pergit (28): Μετὰ δὲ θάνατον καὶ κηδείαν τοῦ μεγάλου Καίσαρος . . (Schmidt l. l. p. 679).

Huius narrationis si summam spectamus, secundo die Lepidi adventu omnia mutata sunt; nam cum primo die res amicorum Caesaris plane iacuisset[1]), secundo die Lepidus cum copiis suis urbem intravit et forum occupavit.[2])

Si autem singula percurrimus, hoc fere modo sese res illo die excepisse videntur:

Lepidus vesperi Idibus legatis interfectorum a se dimissis minime pacem cogitans, sed Caesarem ulcisci sibi proponens, postridie sine ulla dubitatione cum magna manu militum pomerium transgressus in foro castra posuit populumque contra interfectores sollicitavit.

Cum autem interfectores nihil ipsi auderent, sed in Capitolio sederent, quicunque nocte haesitaverant, quibus partibus sese applicarent, ad Lepidum et Antonium, qui et ipse, ut in tumultu, arma induerat[3]), cum armis confluxerunt, et vel ei, qui primo die, perterritis etiam Caesaris amicis, interfectoribus adhaeserant, ad eos defecerunt.

Hi autem veteranos potissimum evocaverunt, in memoriam eis revocantes, quanta beneficia a Caesare accepissent, metumque eis inicientes, ne his omnibus ab interfectoribus privarentur.

Nec solum eos veteranos evocaverunt, qui in urbe tum forte aderant, sed nuntiis missis etiam eos arcessiverunt, qui prope urbem habitabant; qui omnes Romam festinaverunt, ab interfectoribus Caesaris poenam repetituri.

Inde cum magnus exercitus factus esset, in fine huius diei is erat rerum status, ut iam palam diceretur Caesarem ulciscendum esse, et nefas esse, caedem eius impunitam sinere.

Antonius autem, dum nondum habebat, quo niteretur, legatis missis cum interfectoribus in Capitolio degentibus collocutus est; cum autem his multitudine veteranorum ab ipso et Lepido evo-

---

[1]) Liceat in memoriam revocare Ciceronem de primo die dicere (ad Att. XIV. 10): „Di immortales, quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus!"

[2]) cf. etiam Dio 22. 2. ὁ Λέπιδος μαθὼν τὰ γεγενημένα τήν τε ἀγορὰν μετὰ τῶν σρατιωτῶν τῆς νυκτὸς κατέλαβε καὶ κατὰ τῶν σφαγέων ἅμα ἕῳ ἐδημηγόρει

[3]) Idem significare videtur Appianus (130), cum de lorica Antonii loquatur. De tota hac narratione suo loco quaeremus.

catorum superior factus esset, commercia cum eis coepta abrumpens senatum convocare constituit[1]), eo quidem consilio, ut sedato in urbe tumultu ipse reipublicae praeesset.[2])

Antequam autem de republica ad senatum referret, amicos Caesaris domi consuluit, quid ipsis de interfectoribus fieri placeret.

Ex quibus Lepidus censuit bellum eis inferendum esse[3]), eandemque sententiam alter dixit argumentis gravissimis allatis: nam non solum ius iurandum Caesari datum postulare, ut eius nefariam caedem ulciscerentur, sed etiam ipsorum salutis curam hoc requirere — nam etiamsi illi in praesenti quidem, necessitate coacti, nihil molirentur, tamen, ubi res eorum auctae essent, eos dominationem esse affectaturos.[4])

Qui autem, si tum manus consertae essent, exitus futurus fuisset, dubium vix esse potest considerantibus nobis, qualis condicio interfectorum secundo die fuerit.

Nam si vires coniuratorum reputas, ipsorum numerus parvus[5]) per paucos illos tantum auctus erat, qui, ut Lentulus aliique, quasi caedis socii arreptis pugionibus una cum eis in Capitolium ascenderant; armatos autem non habebant nisi gladiatores D. Bruti.

---

[1]) Appianus autem, ut nimis brevis est de his rebus, ita Antonium id ipsum legatis respondentem fecit (p. 35. 3): „Δὶ ὑμᾶς σκεψόμεθα μεθ' ὑμῶν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ."

[2]) Quod Antonius non prius senatum convocavit, quam veteranis urbem implevisset, Cicero collatis Liberalibus cum Idibus dicit (ad Att. XIV. 10): „Quid fieri tum potuit? Iam pridem perieramus!" et altero loco (ad Att. XIV. 14): „Num libere potuimus sententiam dicere? Nonne omni modo veterani, qui armati aderant, cum praesidii nos nihil haberemus, defendendi erant?" cf. etiam II Phil. 89: „Post diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent."

[3]) ad similem sententiam videtur referendum esse, quod Orosius ex Livio excerpsit (VI. 17. 2): „Diu deliberatum est, utrum Capitolium cum auctoribus caedis oporteret incendi."

[4]) et profecto omnia sic evenerunt, quemadmodum is, qui hanc sententiam dixit, divinaverat: nam non solum Cassius et Brutus imperium infinitum maius inde a bello Mutinensi obtinuerunt (Mommsen, St. R. II[3]. p. 655), sed hic ne dubitavit quidem in nummis aureis imaginem suam ponere (Mommsen, Gesch. d. Röm. Münzw. p. 740 et St. R. II[3]. p. 728.).

[5]) Fuisse non videntur supra sexaginta (Suet. Caes. 80. 82). cf. Schmidt l. l. p. 674.

Ei autem, qui primo die contione M. Bruti commoti interfectoribus adhaeserant, die secundo Lepidi in urbem introitu adducti ab eis defecerunt;[1]) quin etiam pauci illi, qui, ut Cicero, vesperi Iduum gratulaturi in Capitolium ascenderant, eos destituisse videntur.[2])

Interfectoribus igitur nihil restabat nisi „sessio Capitolina".[3])

Atque ut iam ad consilium redeamus, Lepidus quidem ad bellum adhortabatur; post Lepidum autem Antonius Hirtium consulebat, qui quidem et ipse consul designatus anni posteri erat (Nic. 22), cuique post consulis verba prima in senatu sententia dicenda erat.[4])

Hirtius autem pacem suadebat. Nam is, quamvis inter Caesaris amicos non minus atque Lepidus fide singulari excellens,[5]) tamen, qualis tum erat rerum status, e republica putabat esse cum interfectoribus Caesaris amicitiam iungi,[6]) quemadmodum ipsi legatis missis pridie rogaverant.

---

[1]) cf. verba Lupiensium illorum (Nic. 17), de quibus iam ante vidimus (p. 14. 2). Atque vires quidem utriusque partis recte commemorant; sed de tempore erraverunt: nam secundo die amici Caesaris non iam perterriti erant, immo intra hunc diem veterani Romam advenerunt (p. 20. 3).

[2]) Quis crediderit Plutarcho in vita Bruti narranti Brutum obsidionem metuentem optimos eorum, qui ad Capitolium ascendentes cum ipso se coniunxissent, ultro a se dimisisse, ne in periculum inciderent? (p. 21) — Quod vero ad tempus attinet, Plutarchus hanc rem cum rebus primo quidem die gestis coniunxit, sed eam ad secundum diem spectare inde apparet, quod Plutarchus sic pergens: οὐ μὴν ἀλλὰ τῇ ὑστεραίᾳ res tertio die factas narrat.

[3]) Cic. ad Att. XIV. 14. „Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse tu testis es: quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant, quibus satis fuit laetari, nonnullis etiam gratulari, — nullis permanere."

[4]) Mommsen, St. R. III p. 973. Fortasse etiam L. Plancus, cos. des. a. 712/42 (alter autem D. Brutus erat), in eo consilio aderat: nam is quidem postridie in senatu, ut Antonius de concordia verba fecerat, ita de concordia sententiam dixisse traditur. (Plut. Brut. 19: Ἀντωνίου καὶ Πλάγκου καὶ Κικέρωνος εἰπόντων περὶ ἀμνηστίας καὶ ὁμονοίας.)

[5]) cf. exempli causa Velleius II. 57.

[6]) Nic. l. l. διαλέγεσθαι καὶ φιλίαν τίθεσθαι. Idem ne postea quidem cessavit omnes nervos intendere, ne denuo res publica in bellum civile incideret (Cic. de fato I. 2); sed ipse postremo professus est (b. g. VIII. 1): „ . . civilis dissensionis . . finem nullum videmus." Sic Matius ab initio

Cum igitur Lepidus ad bellum instigaret, Hirtius autem pacem sinceram cum interfectoribus pangendam esse censeret,[1] denique non defuerunt, qui extrema vitare vellent, et medii inter Lepidum et Hirtium interfectores in praesens ex urbe movendos esse censerent.[2])

Videamus iam, quomodo in tanto sententiarum discrimine Antonius consul rem disceptaverit.

Quis certo definire velit, quae Antonius animo secum volverit, cum salutem eorum, qui die ante ipsum salvum esse voluerant, in sua potestate positam esse videret? Id teneamus, eum Hirtio assensum interfectores servare animum induxisse (Ἀντώνιος τῇ Ἱρτίου προσθέμενος γνώμῃ σώζειν αὐτοὺς ἠξίου).

Ut autem Hirtio assentiretur, cum Hirtii auctoritate,[3] tum Lepidi metu videtur commotus esse.

De ratione enim, quae inter Antonium et Lepidum intercesserit, exstat hoc testimonium Dionis (34. 5):

Lepidum, specie sumpta Caesaris ultione, novis rebus studuisse, copiisque suis fretum in locum eius succedere et per vim rerum potiri se posse exspectasse, et ideo bellum incepisse (Dio loquitur de die tertio): Antonium autem Lepidi consiliis cognitis, et nullis ipsum copiis instructum, nihil ausum esse tum moliri.

Ex hoc testimonio apparet, Antonium metuisse, ne Lepidus, si copiis suis victor de interfectoribus exstitisset, dictaturam

---

iudicaverat, quem quidem Cicero scribit haec exclamasse (ad Att. XIV. 1): Nihil perditius, explicari rem non posse: „Etenim si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet?“ in sermonem se post Idus Martias praeterquam Lepido venisse nemini; ad summam non posse istaec sic abire.

[1]) nam vel internuntii negotium molestum suscepit, cum funere Caesaris facto interfectores domi se tenere coacti essent, et id ageretur, ut summo periculo liberarentur (Cic. ad fam. XI. 1.).

[2]) et profecto, cum postea appareret, pacem veram haberi non posse, ad hoc remedium interim recurrebatur. cf. Dio 44. 51: τῶν σφαγέων τοὺς μὲν ἄρξαι τινῶν εἰληχότας ἐς τὰ ἔθνη, τοὺς δὲ λοιποὺς ἄλλον ἄλλοσε ἐπὶ προφάσει τινὶ ἐξέπεμψαν. et Senec. de benef. V. 16. 6. Antonius interfectores Caesaris .. in provincias et imperia dimisit. cf. etiam Cic. ad fam. XII. 14. 7.

[3]) Ea, quam Hirtius attulit, causa significari videtur in hoc loco ex Livio excerpto (Flor. IV. 7): „Igitur cum appareret, quae strages rei publicae immineret, displicuit ultio, cum caedes improbaretur.“ De altero loco ex Livio sumpto cf. p. 37. 3.

usurparet: interfectores igitur opprimi non posse putabat, quin ipse consul Lepido inferior fieret.

Haec habui, quae de consilio illo proferrem: quomodo vero Antonius, quod sibi proposuerat interfectores servare, exsecutus sit, apud Nicolaum quidem non iam servatum est, sed collatis Appiani et Dionis testimoniis facile colligitur.

Nam non solum nocte insequenti ordinem restituturus magistratus iussit per noctem totam passim in tribunalibus suis praesidere, ut interdiu, ignibus ubique factis,[1]) sed etiam adeo festinavit, senatum convocare, ut ne diei quidem initium exspectaret, sed eadem nocte[2]) edictum recitari iuberet, quo senatores iam ante exortum solem[3]) convenire iubebantur.

Coactus autem erat eos in templum Telluris[4]) proximum domui suae convocare: nam in foro[5]) Lepidus suo Marte agebat.

Antonio enim tam non cesserat, ut copiis suis et veteranis interfectores in Capitolio inclusos e foro obsidere inciperet;[6]) hi autem litteris in forum missis sacramentis maximis fide data se Caesaris acta evertere nolle, veteranos pacare studebant (Dio 34. 1—3 et App. 139—141).

Dum haec in foro fiebant, Antonius in senatu de republica referens pauca verba de concordia fecit,[7]) postquam ipse Dola-

---

[1]) 125. Hoc Antonii praeceptum Piso postea senatoribus in memoriam revocavit, quo probaret Antonium ex legibus egisse (III. 57. οὐχ ἐνυχτοφυλάκει τὴν πόλιν;).

[2]) 126. διάγραμμα νυκτὸς ἀνεγιγνώσκετο Ἀντωνίου τὴν βουλὴν συγκαλοῦντος ἔτι πρὸ ἡμέρας ἐς τὸ τῆς Γῆς ἱερόν. cf. Mommsen, St. R. III. p. 917. 5.

[3]) Mommsen, l. l. p. 913. 3.

[4]) Mommsen, l. l. p. 929. 1.

[5]) in templum Concordiae ibi situm senatus convocari solebat (Mommsen, l. l. p. 928. 5).

[6]) Dio 25. 1. Διαιρεῖταί τε καὶ περισπᾶται ὁ δῆμος αὖθις, καὶ οἱ μὲν ταῦτα, οἱ δ' ἐκεῖνα προαιρούμενοι διχῇ τε ἤδη νενέμηνται καὶ διχῇ στρατοπεδεύονται, καὶ οἱ μὲν τὸ Καπιτώλιον προκατειλήφασιν, οἱ δ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς πολιορκεῖν αὐτοὺς παρασκευάζονται." et 28: „Κατέχεται τὸ Καπιτώλιον καὶ πεπλήρωται μὲν ἡ ἀγορὰ τῶν ὅπλων, πεπλήρωται δὲ καὶ πᾶσα ἡ πόλις τοῦ φόβου." Idem significat Plutarchus, cum dicat (Cic. 42): Ὡς δ' οὖν ἐπέπρακτο τὸ ἔργον, καὶ τῶν Καίσαρος φίλων συνισταμένων ἐπὶ τοὺς ἄνδρας αὖθις ἦν δέος, ἐμφυλίοις πολέμοις περιπετῆ γενέσθαι τὴν πόλιν, Ἀντώνιος μὲν ὑπατεύων τὴν βουλὴν συνήγαγε.

[7]) Cic. I Phil. 31. Quae fuit oratio de Concordia! cf. Plut. l. l. βραχέα διελέχθη περὶ ὁμονοίας.

bellam collegam suum agnovit,[1]) senatus autem Ciceroni assensus[2]) quam celerrime[3]) decrevit, ut interfectoribus oblivio caedis concederetur, acta autem Caesaris servarentur.[4])

Quo senatus consulto facto, quomodo Antonius Lepido persuaserit, ut maiori parti cedens a bello desisteret, et quomodo veteranos plane ad pacem pronos reddiderit, et quomodo suum filium obsidem in Capitolium miserit fidemque descendendi tuto interfectoribus dederit, apud Dionem optime nobis tradita sunt (Dio l. l. 4—7, cf. Nic. 17 et Cic. I Phil. 2 et 31).

Antonius igitur bellum civile iam exoriens represserat et videbatur e rebus difficillimis exitum invenisse optimum.

Quodsi in exordio huius quaestionis Ciceronis de eo die testimonium posueramus (p. 3), liceat in fine afferre verba eius, qui Antonii vitam scripsit (Plut. Anton. 14):

Ἐξῄει δὲ τῆς βουλῆς λαμπρότατος ἀνθρώπων ὁ Ἀντώνιος, ἀνῃρηκέναι δοκῶν ἐμφύλιον πόλεμον καὶ πράγμασι δυσκολίας ἔχουσι καὶ ταραχὰς οὐ τὰς τυχούσας ἐμφρονέστατα κεχρῆσθαι καὶ πολιτικώτατα.

Atque haec quidem pauca ad consilium illud secundo die habitum addenda erant, ut ante oculos nobis poneremus, quomodo Antonius, quod in eo consilio facere decreverat, exsecutus esset.

---

[1]) Cic. l. l.

[2]) Ciceroni plerosque assensos esse vel inde fortasse conicere licet, quod Suetonius (Tiber. 4) Tiberii Neronis quaestorii sententiam commemorans („etiam de praemiis tyrannicidarum referendum censuit.“ cf. App. 127 et Plut. Brut. 19. 1) proprie praemisit: „Cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus.“

[3]) Quantopere res urserit, optime significatur his atque aliis locis (Dio 24. 5): „ἂν μή τι τήμερον καὶ ἤδη γε ὅτι τάχιστα προβουλεύσωμεν, οὐδ' ἀναλαβεῖν δυνησόμεθα“, 31. 1. „βουλεύεσθε περὶ τῶν ἐνεστηκότων, ὅπως ἂν ἀσφαλέστατα καταστῇ“ — 3 „ἔτι ἄρχεται τὸ δεινὸν καὶ οὔτε πολλοί πω συνεστήκασιν. cf. Plut. Brut. 19. 2.

[4]) I. Phil. 23. II. Phil. 100. Appianus has res nimis contrahens dicit Antonium non solum acta, sed etiam decreta Caesaris rata fecisse (132 et 135: γίγνεται δόγμα κύρια εἶναι τὰ πεπραγμένα αὐτῷ πάντα καὶ ἐγνωσμένα, et III. 5), postquam nocte ante pecunias et commentarios Caesaris ad Antonium transportata esse narravit (125). Sed de decretis Caesaris ut consules cognoscerent, senatus exeunte demum mense Martio decrevit (Mommsen, St. R. III p. IX), et item commentarii illi et pecuniae Caesaris fortasse testamento demum Caesaris aperto a Calpurnia apud Antonium deposita sunt. (Plut Ant. 15. cf. Cic. II Phil. 109.)

Quodsi difficillimum erat cognoscere, quomodo factum esset, ut Antonius, inter Caesaris amicos fidelissimus, interfectores eius servare animum induceret, haud scio an in ea re aliquid profecerimus ratione habita cum Hirtii sententiae gravissimae tum Antonii adversus Lepidum propriae condicionis.

Hoc si neglegitur, quales errores exoriantur, luculentissime illustratur narratione Appiani.

Nam is quidem, ut iam vidimus, dixerat (118 — p. 6) Lepidum, ubi primum in foro caedem comperisset, in insulam Tiberinam transgressum legionem suam in Campum Martium duxisse, ut Antonio praesto esset et dicto audiens: Antonio enim eum ab initio cessisse, quoniam hic maiore cum Caesare amicitia coniunctus fuisset et tum consulatum obtinuisset. Eisque deliberantibus placuisse quidem Caesarem ulcisci talia perpessum, sed eos metuisse, ne senatus interfectoribus faveret, et quid futurum esset, exspectavisse.

Idem altero loco paulo amplius repetens[1]) addidit eos non solum senatum et amicos et propinquos interfectorum metuisse, sed etiam Decimum Brutum, cui Gallia Cisalpina exercitu magno instructa a Caesare data esset, eisque placuisse amplius exspectare et tentare, si possent ad se traducere D. Bruti exercitum laboribus ingentibus defatigatum.[2])

Unde autem dicit factum esse, ut Antonius animum induceret interfectores servare?

De ea re inter ea, quae de senatu in templo Telluris habito nobis traduntur (127—135), hanc interpositam invenimus narrationem (130—132):

Antonium et Lepidum e curia prodisse a nonnullis vocatos.[3]) Cumque aliquis clamasset: „Cavete pati similia“, Antonium loricam sub tunica indutam ostendisse irritantem eos, qui id viderent (p. 36. 3).

Et cum alii Caesarem ulciscendum esse clamarent, maior

[1]) 124: Ἀντώνιος δὲ καὶ Λέπιδος ἐβούλοντο μὲν ἀμύνειν Καίσαρι, ὥς μοι προείρηται . .

[2]) Ac profecto Gallia Cisalpina D. Bruto cum una legione data erat (Mommsen, l. l. p. 8), sed quid D. Bruto, si eo die impetus in Capitolium factus esset, legio in Gallia Cisalpina collocata prodesse poterat?

[3]) Liceat totum hunc locum sic tantum afferre, ut perspicuum fiat, quomodo procedat narratio.

autem pars pacem postularet, Antonium primum his respondisse, deinde ad eos, qui ulcisci clamarent, conversum[1]) dixisse se ipsum idem primum clamaturum fuisse, nisi consul esset, cui quod diceretur, id quod e republica esset, magis quam id, quod iustum esset, curae esset.

Talia Antonio ambigue locuto[2]) eos, qui ulcisci vellent, Lepidum voluisse ulcisci. Cum autem Lepidus aliquid dicturus esset, procul stantes descendere eum in forum iussisse, ut pariter omnes audirent.

Eumque in forum statim ivisse et in rostra egressum dixisse: Ibi se heri cum Caesare stetisse, ubi nunc cogeretur quaerere, quid de Caesare mortuo fieri vellent.

Et cum multi „Caesarem te ulcisci" clamarent, contra clamasse mercennarios „Pacem urbi." [3]) Lepidum autem primum his respondentem interfectores periurii insimulasse,[4]) deinde ad eos, qui ulcisci vellent, conversum[5]) dixisse, pluribus aliter placere.

Cumque iterum clamassent: „Ulciscere vel solus",[6]) eum anceps responsum dedisse.

Talia hunc quoque ambigue locutum[7]) mercennarios honoris cupidum esse non ignorantes creasse in Caesaris locum pontificem maximum;[8]) et maiore etiam audacia propter pontificatum de pace mercennariis instantibus Lepidum dixisse: Nefas quidem esse et illicitum, sed tamen se facturum esse, quod vellent. Eumque in curiam recurrisse.

Antonium autem, ubi ne in populo quidem aliquid acrius factum esset, statuisse interfectores servare necessitate coactum.[9])

---

[1]) ἐς δὲ τοὺς ἐπεξιέναι παρακαλοῦντας ἐπιστραφεὶς . .

[2]) 131: τοιαῦτα τοῦ 'Αντωνίου τεχνάζοντος . .

[3]) ἀναβοησάντων δὲ πολλῶν: „'Αμύνειν σε τῷ Καίσαρι", ἀντανεβόησαν οἱ μισθωτοί: „Τὴν εἰρήνην τῇ πόλει."

[4]) Atque haec quidem ansa fuisse dicitur, quare interfectores populum convocarent (p. 31).

[5]) πρὸς δὲ τοὺς ἀμύνειν ἀξιοῦντας ἐπιστραφεὶς . . (cf. adn. 1).

[6]) ἀνακραγόντων δὲ αὖθις: „'Επέξιθι μόνος . ."

[7]) 132: τοιαῦτα καὶ τοῦτον τεχνάζοντα . . (cf. adn. 2).

[8]) οἱ μισθωτοὶ . . ᾑροῦντο ἐπὶ τὴν Καίσαρος ἱερωσύνην.

[9]) 'Αντώνιος δέ . ., ὡς οὐδ' ἐν τῷ δήμῳ τι γεγένητο θερμότερον, τοὺς ἄνδρας ἔγνω περισώζειν ὑπ' ἀνάγκης.

Atque ut singula huius narrationis percurramus, Lepidus non e templo Telluris vocatus in forum descendit contionaturus, sed ibi secundo die populum contra interfectores sollicitavit, (p. 36. 2) postquam forum cum copiis suis occupavit. Tertio autem die, dum Antonius senatum convocabat, iam in eo erat, ut eos veteranis auctus obsidere inciperet (p. 40. 6).

Nec corrupti ab interfectoribus de plebe homines Lepidum, dum senatus habebatur, in Caesaris locum pontificem maximum creaverunt vel se creaturos esse promiserunt, sed in tumultu post Caesaris funus denuo exorto, cum Lepidus Antonio copiis suis denuo metum iniceret, Antonius eum a vi et novis rebus retenturus, ut filiam suam eius filio despondit, ita pontificem maximum declaravit in pontifices rursus a populo creatione translata.[1])

Atque haec quidem de singulis rebus narrationi illi iniectis admonenda erant; quod autem ad summam eius narrationis attinet, Antonius dicitur a mercennariis illis pacem postulantibus quodammodo coactus esse, ut interfectores servaret.

Quocum convenit, quod Appianus posteriore loco (III. 15) Octavium coram Antonio mentione facta interfectorum in Capitolium fugae[2]) haec quaerentem et respondentem fecit:

„Πόθεν οὖν αὐτοῖς ἀμνηστία καὶ τὸ ἀνεύθυνον τοῦ φόνου, ἢ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου εἴ τινες ἐφθάρατο ὑπ' ἐκείνων;“[3])

Hoc loco licet fortasse in memoriam revocare Appianum, ubi primum corruptorum illorum ab interfectoribus mentionem fecerit, proprie commemorasse, eos pacem clamasse, hoc dolo in

---

[1]) Dio 44. 53. 6 et „R. gest. D. Aug.²“ (ed. Mommsen) II. 23. cf. etiam Mommsen, St. R. II.³ p. 31. 3. Minime igitur ex Appiani narratione colligere licet Lepidum mane Liberalibus iam cum Antonio consensisse (Drumann p. 86): immo senatus consulto demum facto Lepidus coactus est Antonio cedere (Dio. 34. 4—5, cf. p. 41).

[2]) „Ἅμα δ' οὐκ ἦσαν ἐκεῖνοι τυραννοκτόνοι, εἰ μὴ καὶ φονεῖς ἦσαν· διὸ καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον συνέφυγον ὡς ἐς ἱερὸν ἁμαρτόντες ἱκέται ἢ ὡς ἐς ἀκρόπολιν ἐχθροί.“

[3]) Sic Octavium de filio Antonii obside in Capitolium misso haec dicentem fecit (paulo infra): „ἀλλ' ἔστων καὶ ταῦτα οἱ διεφθαρμένοι σε βιάσασθαι“ . ., et simili modo de clausula „quoniam e republica sit“ ad senatusconsultum de actis Caesaris illud addita haec dicit (135): „ἐβιάσαντο τόδε . . οἱ τῶν περισωζομένων οἰκεῖοι προστεθῆναι.“

interfectorum salutem excogitato: non enim fore pacem nisi concessa eis oblivione caedis (121: . . ὡς ἐπὶ συμφέροντι κοινῷ τὴν εἰρήνην ἐπεβόων, τέχνασμα τοῦτο ἐς τὴν τῶν ἀνδροφόνων σωτηρίαν ἐπινοοῦντες — οὐ γὰρ ἔσεσθαι τὴν εἰρήνην μὴ γενομένης αὐτοῖς ἀμνηστίας).

Idem autem, quod Octavium quaerentem fecit, altero loco (III. 34) Antonium ipsum coram veteranis mentione facta suae erga Caesarem fidei[1]) qaerentem fecit:

„Πόθεν οὖν αὐτοῖς ἀμνηστία τοῦ φόνου καὶ ἡγεμονίαι;"

et probantem se iusto omnia contra Caesaris interfectores odio fecisse, insidiantem senatui (39: τοιαῦτα τοῦ Ἀντωνίου διεξιόντος παρέστη τοῖς ταξιάρχοις αὐτὸν ἅπαντα μετ' ἔχθρας ἀκριβοῦς εἰς τοὺς ἀνδροφόνους, ἐπιτεχνάζοντα τῇ βουλῇ, πεποιηκέναι).

Recordemur autem Appianum de senatu ab initio sic locutum esse, quasi Antonius eum metuerit ut ab interfectoribus staturum (118: τὴν δὲ βουλὴν πρὸς τῶν ἀνδροφόνων ἐσομένην ἐδεδοίκεσαν, et 123), quod non solum cognatione et amicitia, sed etiam communi Caesaris odio cum eis coniunctus esset (119: συγγενέσι τε σφῶν καὶ φίλοις οὖσι, βαρυνομένοις τε τὴν τυραννίδα ὁμοίως, — et 127).

Nec tamen in Appiani narratione quamvis depravata omne vestigium eorum periit, quae in fonte rectissime exposita erant.

Nam dissensionem inter Antonium et Lepidum intercedentem significavit saltem, cum dicat (126) Antonium in curiam Capitolio subiectam (p. 40. 5) ire non ausum esse, gladiatorum in Capitolio praesidium metuentem (sed cf. p. 37—38) neque voluisse exercitu introducto urbem turbare: Lepidum autem eum nihilo minus introduxisse.[2])

Et quamvis suo loco praetermiserit commemorare Antonium convocato senatu de concordia rettulisse et cum Dolabella collega in gratiam redisse,[3]) Ciceronem autem de oblivione caedis locutum

---

[1]) „Τίς ἂν οὖν πιστεύσειεν ἐμὲ Καίσαρός τε ἀμελεῖν εὐεργέτου μοι γεγενημένου, καὶ προτιμᾶν τοὺς ἐχθροὺς ἐκείνου, καὶ τὸν φόνον ἑκόντα χαρίζεσθαι τοῖς ἐμοῖς ἐπιβούλοις . .;"

[2]) quamquam non agebatur de exercitu in urbem introducendo — nam hic iam secundo die introductus erat (p. 36), sed de tumultu in foro sedando (p. 40—41). Et sane Lepidus exercitu suo non ad id unum usus est, ut Cinnam contra veteranos defenderet.

[3]) immo Dolabellae dicit Antonium etiam tum inimicum fuisse (132: ἤστην διαφόρω, cf. III. 35.)

esse,[1]) tamen addidit saltem postridie consules populum in contionem convocasse, et eis recitata esse, quae senatus decrevisset, et Ciceronem multam oblivionis laudem addidisse (142: Ἅμα ἡμέρᾳ οἱ μὲν ὕπατοι τὸ πλῆθος ἐς ἐκκλησίαν συνεκάλουν, καὶ ἀνεγιγνώσκετο αὐτοῖς τὰ δόξαντα, καὶ Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηστίας ἐγκώμιον ἐπέλεγεν.[2])

Quod autem ad senatum attinet, rectissime alio loco dicit senatum de facto minime laetatum esse. IV. 132: Ἡ βουλὴ . . δυοῖν τούτοιν (i. e. Bruti et Cassii) ἕνεκα πᾶσιν ἀμνηστίαν ἐτίθετο, . . οὐκ ἀμελοῦσα μὲν Γαίου Καίσαρος, οὐδὲ ἐφηδομένη τοῖς γεγονόσιν, ὅπου καὶ ζῶντα τῆς ἀρετῆς καὶ τύχης ἐθαύμαζε, καὶ ἐκύρου ἔργα ἀθάνατα εἶναι.

Haec habui, quae exploratis iam rebus primo et secundo die gestis de Appiani narratione proprie adderem.

II.

Quodsi nobis propositum erat quaerere, unde factum esset, ut interfectoribus Caesaris Liberalibus oblivio caedis concederetur, id quidem iam absolvimus; sed ut tota haec quaestio inde originem ceperat, ut, quae Appianus de rebus inde a Caesaris nece gestis tradidit, denuo perquireremus (p. 3), ita breviter perlustremus, quid de ea re collegerimus.

Quod Ranke collatis Appiani et Plutarchi usque ad Caesaris mortem narrationibus statuerat: „Ein ähnliches Verhältnis findet sich nun auch in den folgenden Zeiten bei Appian; er stimmt hier und da wörtlich mit Plutarch überein, sodass man wohl zu der Vermutung berechtigt ist, dass die sonst beiden gemeinschaftliche Quelle, Asinius Pollio de bellis civilibus, auch hier zu Grunde liegt“ optime comprobatur conferentibus nobis, quae uterque de his rebus exhibeat.

Atque in universum quidem admonendum est Plutarchum,

---

[1]) cf. Ranke, Weltgesch. II. p. 331. 1. „Appian ist über diese Verhandlungen ausführlich; doch fällt es auf, dass er Cicero, dessen Thätigkeit dabei doch durch ihn selbst in der 2. Philippica unzweifelhaft ist, gar nicht erwähnt.“

[2]) Eodem die Antonium obsides in Capitolium misisse dicit, quamquam hoc eodem die factum est, quo senatus in templo Telluris habebatur (p. 41).

ut in vita Caesaris, caede eius narrata ea potissimum addidisse, quae ad Caesarem ipsum pertinebant, i. e. quid de testamento eius factum esset et quomodo sepultus esset (68).

Ea autem ipsa, de quibus quaerimus, i. e. contionem M. Bruti et senatum Liberalibus habitum, tetigit magis quam narravit (67), eo magis quod eadem in vita Bruti uberius narraverat (68).

Sed vel pauca illa, quae de his rebus exhibet, eius modi sunt, ut ea ex eodem, quo Appianus usus est, fonte fluxisse facile cognoscas.

Nam primum quidem, quod ad tumultum Caesaris caedem subsecutum attinet, apud utrumque eadem prorsus ratione narratio procedit: postquam enim traditum est senatum e curia fugisse (I) et fuga sua populum terrore implevisse (II), ita ut domos omnes clauderent (III), aqud utrumque narratur, quid Antonius et Lepidus fecerint (IV).

Quod quo magis perspicuum fiat, liceat hanc tabulam proponere:

	Plutarchus Caes. 67. 1.	Appianus 118.
	Κατειργασμένου δὲ τοῦ ἀνδρὸς	Ἐκτελεσθέντος δὲ τοῖς φονεῦσι τοσοῦδε ἄγους
I)	ἡ μὲν γερουσία διὰ θυρῶν ἐξέπιπτε	φυγή τε ἦν ἀνὰ τὸ βουλευτήριον
II)	καὶ φεύγουσα κατέπλησε ταραχῆς τὸν δῆμον[1])	καὶ τὸ θέατρον διελύετο[1])
III)	ὥςτε τοὺς μὲν οἰκίας κλείειν, τοὺς δὲ . .	καὶ τὰς θύρας ἅπαντες ἀπέκλειον
IV)	Ἀντώνιος δὲ καὶ Λέπιδος ὑπεκδύντες εἰς οἰκίας ἑτέρας κατέφυγον.	Ἀντώνιός τε τὴν οἰκίαν ὠχύρου καὶ Λέπιδος . .

Id iam pro certo haberi potest in communi utriusque fonte hoc loco Antonii et Lepidi mentionem factam esse. Illud quoque constare videtur ibi traditum fuisse Antonium clam domum fugisse et aedes suas munivisse. Quod autem, quae ibi de Lepido proprie allata fuerint, non iam cognoscere possumus, inde fit, quod Plutarchus, satis habens Antonii fugam narravisse, Lepidi

[1]) cf. Nic. 25: Κραυγὴ δὲ μυρία ἐφέρετο
τῶν μὲν ἐκ τοῦ συνεδρίου φυγόντων . .
ἐξανέστη δὲ καὶ ὁ δῆμος, φεύγων ἐκ τοῦ θεάτρου.

rem cum Antonii re confudit (omnino tam brevis est, ut excepto hoc loco Lepidi per totam hanc narrationem ne mentionem quidem fecerit), Appianus autem de Lepido errores gravissimos commisit (p. 42).

Deinde interfectorum in Capitolium fugam pariter narrant, nisi quod Appianus ex consuetudine sua causas huius fugae tradidit, Plutarchus eas neglexit. Eadem autem de modo illius fugae (I), de Lentulo aliisque societatem facti vindicantibus (II) tradiderunt: quin etiam apud utrumque eadem de horum sorte praemissa sunt (III).

Vel hoc tabula infra scripta facile ostenditur:

	Plutarchus Caes. 67. 2.	Appianus 119.
	Οἱ δὲ περὶ Βροῦτον ἐχώρουν εἰς τὸ Καπιτώλιον	Οἱ δὲ σφαγεῖς . .
I)	παρακαλοῦντες ἐπὶ τὴν ἐλευθερίαν τὸ πλῆθος [1]) καὶ προςδεχόμενοι τοὺς ἀρίστους τῶν ἐντυγχανόντων.	τὰ ξίφη μετὰ τοῦ αἵματος ἔχοντες [1]) ἐπί τε τὴν πάτριον πολιτείαν παρεκάλουν
II)	ἔνιοι δὲ καὶ συνανέβαινον αὐτοῖς καὶ κατεμίγνυσαν ἑαυτοὺς ὡς μετεσχηκότες τοῦ ἔργου | καὶ προςεποιοῦντο τὴν δόξαν, ὧν ἦν καὶ Γάιος Ὀκταούιος καὶ Λέντλος Σπινθήρ.	συνέθεον δὲ αὐτοῖς τινες χρησάμενοι ξιφίδια οἳ τοῦ ἔργου μὴ μετασχόντες | προςεποιοῦντο τὴν δόξαν. Λέντλος τε ὁ Σπινθὴρ καὶ Φαώνιος sqq.
III)	οὗτοι μὲν οὖν τῆς ἀλαζονείας δίκην ἔδωκαν ὕστερον ὑπὸ Ἀντωνίου καὶ τοῦ νέου Καίσαρος ἀναιρεθέντες καί μηδὲ τῆς δόξης, δι' ἣν ἀπέθνῃσκον, ἀπολαύσαντες ἀπιστίᾳ τῶν ἄλλων sqq. [2])	οἳ τῆς μὲν δόξης οὐ μετέσχον, τῆς δὲ τιμωρίας τοῖς ἁμαρτοῦσι συνέτυχον.

[1]) Nic. l. l.: Οἱ σφαγεῖς ἔφευγον εἰς τὸ Καπιτώλιον
γυμνὰ ἔχοντες τὰ ξίφη
ὑπὲρ κοινῆς ἐλευθερίας ταῦτα βοῶντες εἰργάσθαι.

[2]) Idem apud Dionem traditum invenimus (21); quod ille sine dubio non ex Asinio Pollione ipso, sed ex Livio sumpsit.

Vides eos paene ad verbum hic illic consentire; sed vel illud nobis occurrit, quantopere uterque has res contraxerit: nam cum Plutarchus ex nominibus illis apud Asinium Pollionem exstantibus duo tantum posuerit, (ὧν ἦν καὶ . . καὶ), Appianus plures quidem attulit, sed Octavii nomen omisit.

Tum contio M. Bruti apud utrumque narratur: ac Plutarchus quidem narrata interfectorum in Capitolium fuga satis habuit eas duas res, quae primum inter res sequentes obtinebant locum, contionem M. Bruti et senatus consultum de actis Caesaris servandis factum inter se opponere; cum autem senatus Liberalibus, contio Idibus habita esset, Plutarchus utrumque eodem die, inter Idus et Liberalia medio, posuit (p. 20. 1).

3: Μεθ' ἡμέραν δὲ τῶν περὶ Βροῦτον κατελθόντων καὶ ποιησαμένων λόγους,
{ ὁ μὲν δῆμος . . τοῖς λεγομένοις προςεῖχεν,
{ ἡ δὲ σύγκλητος . . ἐψηφίσατο . .

Appianus autem eas res uberius quidem quam Plutarchus narrans contionem suo loco tradidit (p. 11), senatum autem et ipse secundo iam die posuit (p. 35).

Quod autem ad res ipsas attinet, videtur Appianus, quod hoc loco de Bruti apud populum fama commemorare omiserat, altero loco addidisse (p. 31—32); de populi autem condicione idem uterque exhibet.

Vel hoc fortasse dilucidum fit hac tabula:

Plutarchus Caes. 67. 3.	Appianus 121.
τῶν περὶ Βροῦτον κατελθόντων καὶ ποιησαμένων λόγους	
ὁ μὲν δῆμος οὔτε δυσχεραίνων οὔτε ὡς ἐπαινῶν	τὰ μὲν γενόμενα ἐπαινεῖν οὐκ ἐθάῤῥουν
τοῖς λεγομένοις προςεῖχεν, ἀλλ' ὑπεδήλου τῇ πολλῇ σιωπῇ [1]) Καίσαρα μὲν οἰκτείρων, αἰδούμενος δὲ Βροῦτον. [2])	δεδιότες τὴν Καίσαρος δόξαν.

[1]) Nic. 26
'Ἐν τούτῳ δὲ Μάρκος Βροῦτος κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν τοῦ δήμου τὸ μέλλον προςδεχομένου

[2]) σωφροσύνῃ τε βίου διὰ παντὸς τιμώμενος κατά τε εὔκλειαν προγόνων καὶ τὴν ἐπ' αὐτοῦ ἐπιείκειαν εἶναι δοκοῦσαν ἔλεξε τοιάδε.

De Bruto autem cf. 142: τοιαῦτα τοῦ Βρούτου λέγοντος ἀκροώμενοί τε ἔτι πάντες καὶ διαλυόμενοι κατὰ σφᾶς ἐπῄνουν ὡς δικαιότατα, καὶ τοὺς ἄνδρας ὡς ἀκαταπλήκτους δὴ καὶ μάλιστα φιλοδήμους ἐν θαύματι ἐποιοῦντο, καὶ ἐς εὔνοιαν πρὸς αὐτοὺς μετετίθεντο.

Quodsi illud constat, cum Plutarchum in vita Caesaris, tum Appianum de rebus inde a Caesaris nece gestis usum esse Asinio Pollione, non minus sane consideratione facta, quantopere uterque, quae in fonte exposita erant, contraxerit, assentiemur Rankeo post verba illa (p. 46) sic pergenti et quaestionem finienti: „Man könnte den Gedanken fassen, das verlorene Werk des Asinius, auf diese Grundlage gestützt, fragmentarisch zu rekonstruieren, — doch bekenne ich gern, der Erfolg würde zweifelhaft sein; es wäre ein periculosae plenum opus aleae.“

Sed quod difficillimum est collatis Appiano et Plutarcho, id fortasse melius nobis continget collatis Appiano et Nicolao.

Quem quidem, quod ad res usque ad contionem M. Bruti gestas attinet, optime cum Appiano et Plutarcho consentire iam vidimus (p. 47. 1, 48. 1, 49. 1. 2); idem facile ostenditur de rebus insequentibus.

Nam si conferimus, quae apud Nicolaum et Appianum de corpore Caesaris domum portato tradita sunt, apud utrumque inter se opponuntur communis omnium Caesaris amicorum vel comitum fuga, et tres servi in propinquo remanentes.

Hos autem corpus Caesaris domum rettulisse, eodem prorsus modo apud utrumque narratum est; ad quos tertius accedit Suetonius.

Hoc ex hac tabula facile apparebit:

Nicolaus 26.	Suetonius Caes. 82.	Appianus 118.
Ὁ δὲ νεκρὸς ἔτι ἔκειτο, μηδενὸς τολμῶντος ὑπομένειν	Exanimis } aliquamdiu iacuit, donec	. .
οἱ μὲν γὰρ παρόντες ἐπεφεύγεσαν . .	diffugientibus cunctis	. . ὢν ἀθρόως διαφυγόντων
Οἰκέται δὲ δὴ τρεῖς	tres servoli	τρεῖς θεράποντες μόνοι παρέμειναν,
ἐνθέμενοι νεκρὸν εἰς φορεῖον	lecticae impositum	οἳ τὸ σῶμα ἐς τὸ φορεῖον ἐνθέμενοι
οἴκαδε ἐκόμιζον	domum rettulerunt	διεκόμισαν οἴκαδε [2])
αἰωρουμένας τὰς χεῖρας . .	dependente bracchio [1])	

Vides hos tres paene ad verbum inter se consentire. Ac priusquam pergamus in conferendis Nicolao et Appiano, quaestionem de Suetonio hoc loco nobis oblatam absolvere liceat.

Suetonius autem, ut in vita Caesaris, morte eius narrata nonnulla tantum de testamento (82) et funere Caesaris (83) addidit: de quibus cum Nicolai narratio perierit[3]), Appianus et Suetonius ita consentiunt, ut eos communi fonte usos esse facile tibi persuadeas.

Sic uterque tradidit L. Pisone auctore testamentum Caesaris ratum factum esse (App. 136), et D. Bruti in eo testamento mentionem factam esse (143) — eiusdem etiam Plutarchus in vita Caesaris 64 meminit —, in funere autem narrando nonnunquam paene ad verbum consentiunt.

Nam quod Suetonius habet:

„Laudationis loco consul Antonius per praeconem pronuntiavit senatus consulta . . quibus perpauca a se verba addidit.“

idem Appianus omisso quidem praecone (144):

„Ἀνεγίγνωσκε τῇ φωνῇ ἐνσημαινόμενος ἕκαστα . . ἐπεφθέγγετο δὲ πού τι καὶ βραχὺ ἑκάστῳ.“

Et quod Suetonius narrat:

„Cantata sunt quaedam ad miserationem[4]) accommodata, ex Pacuvii Armorum iudicio:

'Men servasse, ut essent, qui me perderent.'“

---

[1]) Quo melius cognoscatur, quomodo Nicolaus et Suetonius consentiant Suetonii verba (lecticae impositum, dependente bracchio, tres servoli domum rettulerunt) sic inverti, ut eisdem apud Nicolaum verbis respondeant.

[2]) Nec praetermiserim, quod apud Appianum haec res cum Caesaris, dum inter viros erat, potentia comparatur (τὸν πρὸ ὀλίγου γῆς καὶ θαλάττης προστάτην), etiam apud Nicolaum id inveniri (ἀνδρὸς ἐλάσαντος μὲν πρὸς ἑσπέραν, διανοουμένον δ' ἐλαύνειν πρὸς ἕω, ὡς ἂν εἰς μίαν ἀρχὴν κεφαλαιωθείη γῆς πάσης καὶ θαλάττης τὰ κράτη).

[3]) Quamquam vel ea pauca, quae Lupienses illi de dodrante Octavio dato, et de populi, cum vestem Caesaris cruentatam aspexisset, ira, Octavio narrasse dicuntur (17), optime consentiunt cum eis, quae Suetonius (83) et Appianus de his rebus exhibent (145).

[4]) Cic. II Phil. 91: „Tua illa pulchra laudatio, tua miseratio!“ (cf. ad Att. XIV. 10: „Ille in foro . . laudatus miserabiliter . .“

idem Appianus omisso quidem Pacuvii nomine (146):

„Θρῆνοι ᾔδοντο ·
‘Ἐμὲ δὲ καὶ τούσδε περισῶσαι τοὺς κτενοῦντάς με.’“

Ut autem ea, quae uterque de virgultis ac subselliis a populo ad rogum congestis vel de vestibus pretiosis flammae iniectis narravit, optime inter se consentiunt, ita cum eis, quae Plutarchus de his rebus exhibet (68).

Nec praetermittendum est, quod Suetonius in fine vitae Caesaris, et Appianus comparata Caesaris cum Alexandri vita proprie admonuit neminem interfectorum sua morte defunctum esse (153 et III. 1), sed ad unum omnes terra marique agitatos perisse, idem apud Plutarchum in fine vitae Caesaris (69) exstare.

Atque haec quidem de testamento et funere Caesaris: quod autem ad statum reipublicae Caesaris mortem consecutum attinet, has res tradere Suetonius etiam minus quam Plutarchus curae habuit, sed narravit tantum, quomodo Caesaris corpus domum portatum esset, deinde ad testamentum eius transgressurus praemisit acta Caesaris servata esse (83).

Sed vel haec eam prae se ferunt speciem, ut ea non minus atque quae de testamento et funere attulit, ex eodem, quo Appianus et Nicolaus fonte usi sunt, fluxisse dicas[1]).

Quod quidem de tribus illis servis iam vidimus (p. 50); quod autem apud Appianum et Nicolaum traditum est Lepidi Antoniique metum[2]) causam fuisse, quare interfectores non solum corpore eius in curia relicto in Capitolium fugerent[3]), sed etiam his per legatos promitterent, se pacis causa acta eius rescissuros non esse,[4]) idem apud Suetonium summatim sic traditum est (83):

„Fuerat animus coniuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere, sed metu M. Antoni consulis et magistri equitum Lepidi destiterunt.“

Atque haec sufficiant ad probandum, quod in initio huius quaestionis significatum tantum erat (p. 2. 5), Suetonium videri

---

[1]) admonuerim Schmidtium in quaestione sua: „Nicolaus Damascenus und Suetonius Tranquillus“ (l. l.) e rebus usque ad Caesaris mortem gestis multa exempla attulisse, unde apparent Suetonium et Nicolaum eodem fonte usos esse.

[2]) 119: Λέπιδόν τε ἐδεδοίκεσαν . . καὶ Ἀντώνιον ὑπατεύοντα.

[3]) 120: οὕτω δ’ ἔχοντες ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέθορον, cf. Nic. 25 et 26.

[4]) Nic. 27.

non minus quam Plutarchum et Appianum de rebus Caesaris mortem secutis Asinio Pollione ipso usum esse.

Ut autem iam pergamus in conferendis Nicolao et Appiano (p. 50), Nicolaus contione narrata addidit legationem, deinde ad secundum diem transgressus primum quidem Lepidi in urbem introitum, deinde populi et veteranorum seditionem ab hoc et Antonio concitatam, tum consilium eorum tradidit.

Appianus autem, quamquam et ipse contione narrata legationem addidit (123), tamen reliquas res magnopere contrahens Antonium eodem die legatis ipsis respondentem fecit (124, cf. p 35. 3): unde factum est, ut res secundo die gestas non suo quamque loco, sed passim narraret (124—126. 130—132, cf. pp. 30. 3, 31. 1, 42 e. q. s.).

Itaque res legationem illam secutas gradatim conferre non iam possumus; sed si singulas res per se comparamus, facile cognoscimus Appianum fere eadem significare, quae apud Nicolaum uberius exposita sunt: unum exemplum afferre satis sit.

Apud Nicolaum traditur Lepidi in urbem introitu facto multos ad hunc et Antonium confluxisse, quod interfectorum vires non tantas esse sibi persuasissent, quemadmodum prius exspectassent,[1]) et veteranos sollicitatos esse Caesaris beneficiis in memoriam revocatis,[2]) atque hos quidem palam dixisse opus esse Caesarem ulcisci, alios autem alia secundum factiones singulas congregatos dixisse, hos ab his, illos ab illis stantes.[3])

Ea autem omnia summatim Appianus sic reddidit (125): In urbe populum animum recepisse, paucitate eorum, qui hoc fecissent, cognita,[4]) et in memoriam Caesaris eos subactos esse[5]) et in diversas sententias discessisse.[6])

[1]) συνέῤῥεον δὲ ἤδη πολλοί, . . καὶ μάλιστα ἐπειδὴ μαλακώτερα τὰ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐφαίνετο, καὶ οὐχ ὁποῖα τὸ πρότερον προςεδοκήθη κατὰ ὑπόνοιαν ἰσχύος μείζονος.

[2]) πολλαὶ δὲ καὶ ὀλοφύρσεις ἐγίγνοντο . . καὶ μάλιστα τοὺς συνεστρατευμένους αὐτῷ πρότερον παρακελευόμενοι, οἷος ὢν οἷα πάθοι ἐν ἐρημίᾳ φίλων.

[3]) ἐλέγετο δὲ ἤδη ἐκ τοῦ φανεροῦ, ὅτι χρὴ ἀμύνειν αὐτῷ . . ἄλλοι δὲ ἄλλα κατὰ συστάσεις ἀθροιζόμενοι ἔλεγον, οἱ μὲν πρὸς τῶνδε, οἱ δὲ πρὸς τῶνδε.

[4]) ἤδη δὲ καὶ τῶν ἀστῶν ὁ καθαρώτατος λεὼς ἀνεθάρρει, τὴν ὀλιγότητα τῶν δεδρακότων πυθόμενοι (cf. adn. 1).

[5]) καὶ ἐς μνήμην τοῦ Καίσαρος ὑπεφέροντο (cf. adn. 2).

[6]) καὶ ταῖς γνώμαις διῃροῦντο (cf. adn. 3). **Dicit autem hoc factum esse nocte senatum praecedente.**

Nec praetermittam, quod Nicolaus summam consilii illius hanc tradidit: Ἀντώνιος . . σώζειν αὐτοὺς ἠξίου (p. 39), eadem prorsus ratione Appianum dicere: τοὺς ἄνδρας ἔγνω περισώζειν (132, p. 43. 9).

Collatis igitur Appiani et Nicolai narrationibus id mihi pro certo haberi posse videtur eos communi fonte usos esse.

Multum quidem abest, ut ex Nicolai in vita Caesaris narratione nobis fingere possimus, quomodo in Asinii Pollionis historiis res inde a Caesaris nece gestae scriptae fuerint — nam multa omnino omisit, multa brevissime narravit —, quaecunque autem memoriae tradidit, tam egregie comprobantur Ciceronis testimoniis (p. 9. 2. 33. 2. 36—39), ut repeti non potuerint nisi a scriptore has res summa diligentia et integra veritate componente.

Illud quoque fortasse contendere licet, quae ibi de sodaliciis (p. 34. 2) vel de memoria rerum Sullae mortem consecutarum (p. 35. 1) tradita sunt, auctorem significare rerum Romanarum peritissimum.

Si autem consideramus, quanta pietate de Caesare mortuo (p. 14 et 51. 2), quanta liberalitate de Bruti apud populum fama (p. 49. 1. 2.) in eadem narratione verba facta sint, facile cogites de eo, qui, quamvis esset „Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus“ (Vell. II 63), tamen „egregiam Bruti et Cassii memoriam tradidisse“ fertur (Tac. ann. IV 34).

Quae autem, commemorato metu novarum turbarum de ducibus singulis exercitibus magnis instructis exposita sunt, (p. 35), ad quem potius ea referemus quam ad eum, qui, ut ipse unus ex eis ducibus erat, ita bella proprie civilia eorumque causas scripsit (Hor. c. II 1)?

Eundem auctorem sine dubio Livius secutus est (p. 2. 5); atque huius quidem ipsius narratio periit, sed videtur subesse narrationi Dionis.[1]

Is autem primum quidem tumultum Caesaris caedem subsecutum (20), deinde contionem (21) descripsit, tum ad Caesaris amicos transgressus recte quidem tradidit Lepidum mane postri-

[1]) Vel id fortasse non negligendum est, Dionem item ut Livium (perich. 116), eodem, quo Caesaris mortem narravit, libro res usque ad adventum Octavii gestas narravisse (cf. Dio 45 et per. 117).

die foro cum militibus occupato contra interfectores populum incitasse (22. 2, cf. p. 36. 2), sed consilium hoc die habitum omittens ea iam narrat, quae in senatu facta sint.

Si autem singulas res percurrimus, ut tumultum copiosissime descripsit, ita cum Nicolao[2]) et Plutarcho[1]) consentit; ea autem, quae de contione quamvis breviter exhibet, aptissima sunt ad ea supplenda, quae apud Nicolaum partim librarii, partim excerptoris culpa exciderunt.

Nam ut Nicolaus tradidit interfectores populum convocasse,[2]) ita Dio populum in contionem convenisse,[3]) et ut Nicolaus exposuit populum magna mala exspectasse,[4]) ita Dio dicit interfectores populum adhortatos esse, ne quid mali exspectarent, eosque plane pacasse.[5])

Nec minus ea, quae Dio de Lepidi per hos dies consiliis (p. 39 et 40) vel omnino de rebus senatum in templo Telluris habitum subsecutis exhibet (p. 41), maxime idonea sunt ad ea supplenda, quae apud Nicolaum perierunt.

Quamvis igitur Dio non Asinio Pollione ipso, sed Livio usus esse videatur, tamen inter eos scriptores, quorum de rebus inde a Caesaris nece gestis narrationes nobis servatae sunt, auctor minime spernendus est.

Ad Livium denique referenda videntur esse, quaecunque non solum Florus (p. 27 et 39. 3), Eutropius, Orosius p. 37. 3, sed etiam Velleius et passim Valerius Maximus de his rebus attulerunt.

---

[2]) Dio 20. 1. Θορύβου δ' οὖν πολλοῦ παρὰ τῶν ἄλλων, τῶν τε ἔνδον ὄντων καὶ τῶν ἔξωθεν προςεστηκότων . . ὅτι ἠγνόουν τούς τε σφαγέας καὶ τὸ πλῆθος, τήν τε διάνοιαν αὐτῶν, γενομένου, cf. Nic. 25: Κραυγὴ δὲ μυρία ἐφέρετο, τῶν μὲν ἐκ τοῦ συνεδρίου φυγόντων . . τῶν δ'ἔξω Καίσαρι συνόντων πάσης οἰομένων εἶναι τῆς βουλῆς τὸ ἔργον . .

[1]) πάντες ὡς καὶ κινδυνεύοντες ἐταράσσοντο . . βοῶντες. „φεῦγε κλεῖε! φεῦγε κλεῖε!“ . . cf. Plut. Cas. 67. ὥςτε τοὺς μὲν οἰκίας κλείειν, τοὺς δὲ . . Idem, quod apud Plutarchum et Appianum de sorte Lentuli et aliorum adnotatum est, etiam apud Dionem inveniri iam vidimus (p. 48. 2).

[2]) 26: συγκαλέσαντες τὸν δῆμον . . (p. 17. 2).

[3]) 21: συνελθόντων αὐτῶν ἐς ἐκκλησίαν . . (p. 18. 3).

[4]) 26: . . μείζω κακὰ ἀπ' αὐτῶν ἐκραγήσεσθαι . . (p. 17. 5).

[5]) 21. θαρσεῖν τέ σφας καὶ μηδὲν δεινὸν προςδέχεσθαι ἐκέλευον . τοιαῦτα ἄττα εἰπόντες τοὺς πολλοὺς κατέστησαν, καὶ μάλισθ' ὅτι οὐδένα ἠδίκουν (p. 20. 2).

Haec autem omnia cum ceteris testimoniis optime consentiunt, ut vel ex his exemplis elucet:

Quod Valerius Maximus de populi adversus Cinnam ira exhibet (IX. 9. 1): „ . . iratus ei, quod, cum affinis esset Caesaris, adversus eum impiam pro rostris orationem habuisset"

comparari potest cum hoc loco Appiani (126): „ . . δι' ὀργὴν ἔχοντες, ὅτι ἐπὶ τῷ Καίσαρι, καίπερ οἰκεῖος ὢν αὐτοῦ, βλασφήμως ἐδημηγόρησε"


vel quod Velleius de Dolabellae consulatu adnotavit (II. 58. 3): „ . . cum iam Dolabella, quem substituturus sibi Caesar designaverat consulem, fasces atque insignia corripuisset consulis"

cum hoc loco Appiani (122): „ἐπεὶ Δολαβέλλας, ὑπατεύειν ὑπ' αὐτοῦ Καίσαρος ἐς τὸ ἐπίλοιπον τοῦ ἔτους ᾑρημένος, τὴν ὕπατον ἐσθῆτα ἠμφιέσατο καὶ τὰ σημεῖα τῆς ἀρχῆς περιεστήσατο."

Sic etiam, quae Velleius de interfectorum in Capitolium fuga commemoravit: „Hi (i. e. duo Bruti et C. Cassius) una cum coniurationis globo Capitolium occupavere"

fortasse conferre licet cum hac narratione Plutarchi (Cas. 67. 2): „Οἱ δὲ περὶ Βροῦτον ἅμα πάντες ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου συστραφέντες ἐχώρουν εἰς τὸ Καπιτώλιον."

Ad unum igitur Asinium Pollionem redactis, quaecunque de rebus inde a Caesaris nece gestis nobis tradita sunt, hanc tabulam liceat proponere, qua ostendatur, quae ratio inter Asinium Pollionem et singulos scriptores intercedat (hos autem secundum aetatem posui):



[1]) cf. p. 54. — [2]) p. 50—54. — [3]) p. 46—50. — [4]) p. 50—53. — [5]) p. 55—56. — [6]) p. 54—55.

Collatis igitur inter se Appiani et Nicolai narrationibus non neglectis ceteris testimoniis hoc fere ordine mihi sese videntur res Idibus Martiis et postridie gestae in Asinii Pollionis historiis excepisse:

Quinta fere hora[1]) cum Caesar domo progressus esset, in curia occisus est.

Quo facto senatus e curia, populus e theatro fugit. Antonius autem, qui quidem ante curiam steterat, et ipse fugit domumque suam munivit, Lepidus autem in insula Tiberina, ubi forte legionem recens conscriptam habebat, aberat.[2])

Interfectores autem metu veteranorum in urbe forte tum versantium per forum in Capitolium fugerunt;[3]) inde factum est, ut corpus Caesaris per forum domum ferretur, funusque ei pararetur.[4])

Capitolio occupato interfectores populum in contionem convocaverunt.[5])

De magistratibus autem Cinna praetor prodiit et contra Caesarem contionatus populum interfectores ut tyrannicidas de Capitolio vocare iussit: populus autem ei obsecutus non est, sed metu turbarum novarum captus, quid futurum esset, exspectabat.[6])

Cum autem interfectores de Capitolio descendissent, M. Brutus orationem habuit populumque de consilio ac ratione facti certiorem faciens plane pacavit.[7])

Itaque, cum interfectores in Capitolium redissent, (interim autem vesper appropinquaverat), principes civitatis gratulaturi ad eos se contulerunt; quorum exemplum secutus est pauca contionatus Dolabella consul.[8])

Interfectores autem legatos miserunt ad Lepidum et Antonium pacem petentes: hi autem, cum legati sero vesperi venissent, postridie se responsuros esse dicebant.[9])

Cum igitur incertum esset, quid Antonius et Lepidus in animo haberent, denuo populus summo metu rerum novarum

---

[1]) Suet. Caes. 81.
[2]) p. 6—10. (47—48.) — [3]) p. 12—14.
[4]) p. 14—15. — [5]) p. 18.
[6]) p. 18—19. (29—30.) — [7]) p. 19—20.
[8]) p. 20. (29—30.) — [9]) p. 32—33.

affectus est et per noctem totam trepidavit;[10]) postero autem die Lepidus cum copiis suis forum occupavit Caesarem ulturus, et una cum Antonio consule, qui et ipse in armis erat, veteranos evocavit.[11])

Antonius autem initio huius diei cum interfectoribus in Capitolio sedentibus per legatos collocutus est; cum autem satis magnam multitudinem veteranorum expedisset, ita ut suo arbitrio agere posset, interfectorum rem ad senatum deferre constituit.[12])

Priusquam autem senatum convocaret, amicos Caesaris ad consilium convocavit: ex quibus cum Lepidus interfectores bello opprimere vellet, Hirtius societatem cum eis ineundam esse censeret, Antonius Hirtio assensus eos servare animum induxit.[13])

Itaque tumultum in urbe conflatum sedaturus nocte quidem insequenti magistratus per urbem vigilias agere iussit; ubi primum autem dies appropinquabat, dum Lepidus interfectores e foro obsidebat, senatum convocavit et de concordia verba fecit.[14])

---

[10]) p. 33. — [11]) p. 36.
[12]) p. 36. — [13]) p. 37–40.
[14]) p. 40—41.